


R. P.

ALBERTI BARTOCHOWSKI

Societatis JESU.

PANEGYRES REGIÆ

Olim

JOANNI III.

POLONIARUM REGI

Post Victorias Otthomanicas

Scriptæ & dicatæ

Quibus accessit Carmen R. P. UBERTINI CARRARA inscriptum eidem.

JOANNI III.

NONDUM REGI



POSNANIÆ

Typis Regiis Clari Collegii Societatis JESU.

Annô Domini MDCCXXXVII.

FULMEN
Orientis
JOANNES III.
REX POLONIARUM
TER MAXIMUS
Bellicæ fortitudinis Gloriâ
INNOCENTII XI. Solicitudine
LEOPOLDI I. Studiô,
Ingenti Portæ OTTHOMANICÆ terrore,
PUBLICO CHRISTIANI ORBIS VOTO,
BELLI ORTHODOXI
IMPERATOR
ELECTUS.
Viennæ, Austriæ, Pannoniæ, Podoliæ,
Ukrainæ, Valachiæ, &c. &c.
VINDEX
à Populis acclamatus,
Barbaricîs adoratus cladibûs,
Inter festivos Triumphantis Europæ Plausus
à devinctissima MAIESTATI SUÆ
Societate JESU Polona.,
In Sæculorum memoriam & Regum exempla
RELATUS.

Quidquid Aves minabantur, Secundo FULMINE abolebitur. Quidquid Fulmine denuntiatum eſt, nec Ave contrariâ refellitur. *Seneca Nat. quæſt. Lib.* 2.

Sunt Fulmina, quorum minæ deferri poſſunt, averti tollique non poſſunt. *Lipſius Cent.* 1. *Ep.* 4.

Cùm feriant unum, non unum FULMINA terrent. *Ovidius.*

Longum Socias tardumque putavit expectâſſe manus, & noſtra pericula tendit poſthabitîs pulſare ſuîs, mediumque per hoſtem FLAMMATUS virtute pia propriæque ſalutis immemor, & ſtrictô proſternens obvia ferrô, BARBARA FULMINEO ſecuit tentoria curſu. *Claudianus de VI. Conſul: Honorii.*

Reges Fulmina ſunt, dura frangunt *Lipſius Cent:* 1. *Ep.* 4.

certè votô, de Orbis totius hostibus triumphabas. Scilicet ferrô alii Provincias, Regna cladibûs metu Orbem terrarum, Tu ita universum famâ implevisti, ut nullus occurreret, quantumvis oculatissimi Numinis Vicario, cui securiùs propugnandæ Religionis integritas, præter Te crederetur. Omnium vox erat Gentium: terreri ab aliis hostem posse, defendi Orbem non posse, nisi à JOANNE III. Postquam Lunam Turcicam iterum iterumq; superavit, infra illum est omne Solum: Laceratæ in Ungaria Religioni, dificienti suo in cultu Numini, hoc est morienti Christo JOANNES Præsentissimus. Acceptô igitur fumantis Austriæ nuntiô, ut haberes quem vinceres, Hostem quæsivisti extra Patriam, eaq; celeritate iter hoc es aggressus, ut famam ipsam prævolares, jamq; Te in bella euntem videbamus, adhuc dubitavimus, id sinè Sæculorum mora fieri potuisse, quod properabas.

Alii adversus hostes ituri olim Principes, ut Divinæ cujusdam fortitudinis opinionem assequerentur, Fulmine suam manum, imaginemq; (quam præmittebant) armare consveverant, & tonare prius populis volebant, quàm loqui. Verum picti isti Joves, totô illô artis incendiô, ne intimam quidem tabulam, in sui admirationem accendebant. Ardebat quidem color, sed odiô ambitiosissimi Dominantis. Interea pictis illis Fulminibus,

etiam

etiam muscæ, insultantibus similes, securè inerrabant & de fastu sui Domini triumphabant. Flamma verò ipsa impotentem superbiam, perpetuò ridere, & tacitè prorumpentes scintillæ, cachinnari quodam modô videbantur.

Tu Regum Invictissime, ipsa belli æquitate armatus, ita de Heroicæ Virtutis Tuæ Fama securus es, ut neq; Leonum indutus exuviîs, neq; FULMINE, priùs Te in hostem moveris, quàm Exercitum; ferebas in SCUTO triumphali, non fictum Gorgonis Caput, Medusæq; frontem & supercilium, sed mentem Tuam Animumq; cuivis Hosti unicè formidandum. Tutelaris instar FULMINIS In Hostes ferebaris: Sæpiùs nos tamen respiciebas, & vicissim à nobis respiciebaris; non de hoc solicitis, quod à nobis abires, è quorum animis nunquam discesseras, sed quòd hostibus occurreres. Ipse ille tot triumphorum testis, & quô spem publicam provehebas ad victoriam, Equus, quasi mentem nostram intelligeret, tardiùs Te nostris ferebat ex oculis, ut diutiùs optatissimô Spectaculô fruerentur. Confluentem in horas multitudinem, terrebas Majestate, clementiâ invitabas; Securumq; jam tunc erat augurium venturæ Victoriæ, Regium aspexisse vultum, ita de omnium nostrûm affectibus triumphantem. Interim unusquisq; nostrûm, de Tua unius incolumi-

tate



REX POLONIARUM TER MAXIME.

NOn tarditatem nostram sed Tuorum accusa celeritatem triumphorum, Regum Invictissime, quòd illos hucusque nostri plausus consequi non potuerint. Imò jam parùm aberat ut etiam lentiores Tibi optaremus Victorias. Promotis finibûs Imperii, amplificatô Regnô, immensô Gloria Immor-

talis theatro aperto, solos in angustias egisti Oratores. Maxima celebrare volentibus, Majora exhibes quotidie. Hostibus ereptam narrare Viennam aggredimur. Tu interim trecenta Hostium millia, partim victore ferro cæsos in acie proteris, partim terrore fulmineo prostratos in fugam agis. Vix acta miramur; Tu Castra capis orientis: Nondum bis mille Gradivi machinas, nondum manubias, nondum æquata Urbibus tentoria revocavimus ad Calculum, jam expugnas Parkanum, jam altô septum Danubiô capis Strigonium. Triginta millium Sangvine Turcarum adhuc calent rubentque flumina, & jam ingrederis Stephanopolim; ereptaque Religioni Templa reddis, & Aras, Superis. Ubi nostra Sacra, pallida ridebant Lunæ, ibi Te Duce, Te Auctore, fixas videmus Cruces, depresso fastu barbaro triumphare. Una eademque, manu, Sobino das Leges in Ungaria, simul in Podolia Scythiaq; prope quadraginta millia Getarum Turcarumq; sternis. Quæ igitur penna? quæ manus? tam celerem Victoriarum Tuarum cursum famamque assequatur? Quis tanta Operum Tuorum prodigia, quæ nunquam satis mirabuntur Sæcula, dierum aliquot angustiis exæquabit? Quis illi humiles obtrudat periodos, cujus pedibus supplicem Orbem videt, & in manu fortunam? Quæcunque Tibi domi meditamur Elogia, jam illa in Pontificum, Imperatorum, Regum, Principumque literis, non tam legimus.

quam

quàm admiramur. Parce igitur Regum Invictissime; Hostes armorum vi, Pòëtas Rhetoresque triumphorum celeritate, Orbisque plausibus, desperare cogis. Excessisti Polonum Carpathum gloria Austriæ, Pyrenæos cladibûs Hostium exæquâsti, suìs non minùs vitiis, quàm vitibûs superbas Ungariæ Alpes superâsti victoriìs; & adhuc Te paribûs encomiìs, vel voto sequi audeamus? Narramus tamen quæ gessisti, ne pluris nostrum silentium, quam Tuas æstimare victorias videamur. Loquimur; ut fateamur, nos vinci tantorum admiratione operum. Insolens enim Conditio est admiranda patrare, ut taceantur; ita beneficiìs Regnum obruere, ut efficias, ne possit esse gratum. Collige proinde Palmas viresque, & novis primo vere para frontem laureis, Sertis Caput, Catenas Hostibus, plausibus Aures, triumphis Lechiam, terminalibus maria Columnis. Talem Te nobis, talem Imperio terrarum, talem felicitati populorum, generi humano servent Superi diutissimè, ut per depressa Lunæ cornua, Tuorum agens Currus triumphorum, una Lechiam manu, alterâ teneas Orientem: hodie Victor, olim illius Imperator. Hoc Tibi suo nomine Sanctior INNOCENTIUS, *hoc Augustissimus* LEOPOLDUS, *hoc Austria, Germania, Moravia, Bohemia, Silesia, hoc pars Magna Ungariæ, hoc Roma*

 vovet

vovet: hoc Magni, Sacro fœdere colligati exſpectant Principes, hoc populi anhelant ſub jugo Barbarico tam diu laborantes: dicam amplius; hoc Valachi; Moldavi; Cozaci ſuſpirant, hoc ſibi tot victoriis aucta pollicetur Poloniæ; hoc ominatur.

Majeſtati Veſtræ

Devinctiſſima Societas IESU.

NEſcis

NEsciat mirari rerum miracula Roma
Quid cineres colis exiguos? quid Fulmina belli
Scipiadas, timido Sculptos miraris in auro,
Et gemmas pallere jubes Carthaginis irâ?
Iam Phidiæ meminisse manûs, jam vulneris alti
Marmora non dignata ruunt: jam fessa Quirino
Ostentare pudet veteres Capitolia Palmas:
Huc oculos, huc flecte manus. En Scipio major,
Casuri imperii, morientis vita Viennæ,
Austriaci fortuna Throni, Fulmenq; Gradivi,
Postquàm unô clypeô, ter centum millia Thracum,
Postquam Bosnenses potuit Valachosq; Getasque
Frangere, & attonito lacrymas excire Vesyro,
Invidiam terris, tantùm non ponit Olympo.

SI adhuc dubium esset, fatonè an casu, & non Arbitro Numine bella geri, liqueret tamen, vel supremam hanc expeditionem, quâ omnium exempla temporum, omniũ literarum memoriam, ætatum omnium admirationem, Sæculorumque omnium invidiam superâsti, divinitùs esse adornatam. Quasi etenim coràm palamque à Superis fuisses admonitus, ita in hostem, ipsi etiam telluri gravem, inusitato Heroibus passu ivisti, ut securior credereris victoriæ, quàm ille pugnæ. Nocuerit multis nimia humanarum virium securitas, nemo enim succumbit faciliùs; quàm qui nihil timet: & sæpè magna Sere-

nitas graviùs fulminavit. Sæpè feralis erupit tempestas è felicitatis malacia, sæpè.

- - Medios secuit triumphos

Contemptus hostis, Spernentis negligentiâ factus validior. Tu causâ belli armatus, conjuratîs in Austriam, terrâ, marî Barbarîs, unus rerum humanarum ridere aleam, unus insultare Fortunæ videbaris. Ita sonitum procellæ atrocissimæ tranquillîs auribûs excepisti, ita inconcussus vidisti Orbem circa Te ruere, ut cuicunque Regium spectare vultum contigisset, ad immortalis gloriæ Capitolium ferri Te diceret non ad bellum. Quam alii dant Reges Principesque triumphis frontem, eam Tu trecentis prope Turcarum inferebas millibus; de hoc uno solicitus, ne minorem invenires hostem, quàm optabas O quàm lentîs plerumque itur passibûs ad bella socialia! Diu Miles legitur, minanti quàm pugnaturo similior: diu humani casus eventusque reputantur, evolvuntur suscepta temerè bella, revocantur arma Punica, quibûs nihil Orbi funestius dedêre, Carthaginensium Suppetiæ, iterùm iterumque Senatus cogitur: interim verò cum Romæ consulitur, Saguntum capitur. Sæpè diffusus per Oppida miles, vastam ubique spargens solitudinem, priùs Victorem æquat victis, quàm tubam audiat: ruunt Urbes, evertuntur Provinciæ, violantur Aræ, pudor hostium libidini objicitur,

tur confunduntur leges, triumphat insolentia. Tot Tutelarium armatorum millia priùs è vita exeunt, quàm in aciem, plures lentum iter sternit, quàm gladius.

Tu Regum Sapientissime, ad primum laborantis Viennæ nuntium omni procul mora, in Augustissimi LEOPOLDI, dicam in omnium Regnorum provolando Suppetias, viam inter & victoriam, nullum nisi terrarum spatium admisisti.

Festinatô igitur sequar calamô citatissimæ post hominum memoriam expeditionis Tuæ vestigia, ne longiorem ego traham narrando moram, quàm Tu, saluti publicæ succurrendo. Utinam verò tantùm assurgat Oratio mea, quantùm Tu emines Regnorum fastigiîs. Utinam stylus ita sese erigat, sicut Tu felicitatem Nostram erexisti: Utinam tantùm habeant Paginæ gratiarum, quantùm habent immortalia Tua promerita splendoris, admirationis, Majestatis. Pallerent profectò, pallerent invidiâ Plinii, ringerentur, quantumvis Pacati, silerent Tiberios Taciti; Curtii, non extenderent famam Alexandri: vilescerent Ausoniis Gratiani, non evolverent enodarentque ex antiquitatis fasciis Theodoricos Ennodii, nec tuum auderent prodire in conspectum. Nihil blandiemur Fortunæ Tuæ fingemusq; neque enim adeò publicè, fas est aut decet. Raró, idem fingunt multi, nunquàm

quàm omnes; præſertim perpetuò. Tantùm itaque à ſpecie adulationis aberit Oratio, quantùm immortales Tuæ Victoriæ diſtant ab humanis. Non aliunde geſta Tua dignoſcuntur, niſi quòd omnium victorias Heroum, omniumque exempla temporum, excedant. Dum eveniſſe quidpiam videmus, quod nemo ſperare audebat mortalium, JOANNIS TERTII factum credimus; Si tamen ego non omnia narravero, Tuæ Virtutis id quoque Elogium exiſtima, Regum Fortunatiſſime, quòd plura unus agere poſſis, quàm dicere Oratores, vel Pòëtæ fingere.

Atque ut inde Panegyris Tua, & Felicitas noſtra ducat exordium: Jam hucuſque Orbis, ſi habuiſſet quò caderet, corruiſſet. Quorſum enim ultimi terrarum cardines movebantur? vertebantur maria, trasferebantur Imperia, Regna, Provinciæ? Ipſæ Victoriæ nova fuerunt bellorum ſemina. Stabat ſuper oppreſſorum ruinas populorum, ebrius terrarum cladibûs Othomanus victor, exhauſtô Græciæ, Macedoniæ Imperiô, Septuaginta quinq; Regnorum ſepultîs opibûs, etſi Orbis tumulo fuerit propior quàm triumpho, adhuc tamen humanum ſangvinem ſitiebat. Non Cælum, non tellus, non Regnum, non Patria, non quies ulli ſecura fuit. Captus inſidiîs hoſtis, domandus fuit ferrô: pulſus, cum bellum inferret; frangendus erat, cum propulſaret:

ſaret: fuſus in Campo, vincendus erat in mari: eundem Hoſtem, ſæpiùs objectante ſeu ambitione ſeu fato; ut plures vincendo pluris fieret victoria. Cladibus Hominum ſucceſsêre cædes Urbium; Exercituum funeribus, naufragia claſſium; Regnorum excidiis, populorum captivitas. Erubeſcendîs nimirum ex bellorum diuturnitate victoriîs, ad ultimum triumphorum ſuperbus contendebat Biſton. Vitam, quam per tot diſcrimina ſervabant mortales, incipiebant deteſtari; exuiq; ſemel omnibûs cupiebant, ne ſpoliarentur quotidie. Barbarorum gaudia, Provinciarum ſaginabantur lacrymîs, & unius Machometis divitiîs, omnium inopia laborabat. Gemebat Aſia, plorabat Africa, ſuſpirabat America, Europa fatiſcebat. AUSTRIA, tam diu bellorum tumultuumq; neſcia, per jugulum petita eſt, convulſa, profanîs ignibûs flagrabant Templa, fumabant Aræ, ingemiſcentibûs ipsîs mortuorum manibûs, profunde ruebant tumuli, hoc eſt ipſa ſepeliebantur Mauſolæa. Lugebat in Ungaria Religio, ſilebant divinæ humanæq; leges, effrenata ubiq; licentia graſſabatur, & ſcelus jam erat, ſceleſtum non videri. Defendebantur à ſuis hoſtibus Urbes, ne deeſſet quod poſſent eripere. O miſeram ſortem pecoris, à quo plura Tutelares exigunt Dii, quàm vorare lupi poſſent! Laborabat Urbium caput Roma, ſuſpirabat

Imper-

Imperium, prodigebatur Heroum Sangvis, destinabatur lanienæ lectissimus flos Austriæ.

Vienna, in portis, ac prope mænibus ipsis, & tantùm non in foro, Lunas conspexit Turcicas; ideo duntaxat non exanimata, quòd Tuo Regum Fortissime viveret Spiritu. Tot Regnorum superatis mortibûs, æternum sibi pollicebatur Oriens Imperium, nisi Tu, illud quoq; mortale docuisses. Jam resolutâ veluti ingentis compage corporis, in exitium Imperii, juratus ruebat Hostis; Tu Rhodii Colossi instar obstitisti, & in una Austria, Christianum Orbem, vetuisti labi. Rapiebat alios, implacabilis more fluminis, exemplum grande præcedentium, crescebat cuiq; ex aliorum contagione audacia. Integerrima Tua in humani generis securitatem fides, ne afflari quidem potuit. Integerrimus Orthodoxæ felicitatis amor ab illo ipso Hungariæ incendio sumebat vires animumq;. Crescat (inquiebas) alta frons Rebellium, ut ruat ponderosiùs, ipsîsmet periculis, suam animet superbiam cæcus furor, ne belli causa intereat, lactet quotidie scelus impietas:

- - Parente quidquid crimine nascitur,
Nescit perennare - -

Tantus ardentis Ungariæ Austriæque fumus, splendorem olim afferet Leopoldo, lacrymas eliciet Orienti. Longo bellorum usu didicimus: majorem esse Turcarum famam, quàm gloriam. Hinc

Hinc quòd olim rebus Orthodoxis labentibus, Stephanus & Vladislaus IV. Reges, bellicæ virtuti suæ vovebant spatium, Tibi ultrò apertum est. Nimirum, Carthaginensibus ingentî præliô Romanos aggressuris, Xantippum Ducem Spartha dedit: Arma Ægypto illaturus Artaxerxes, Athenis ad Clavam quæsivit Iphicratem; Leopoldus Augustus, ut Orbi terrarum succurreret, Te ad Imperatorios Orthodoxi belli Fasces sapientissimè invitavit. Et hoc demum est, Imperator Augustissime Patrem esse Patriæ, ita partiri curarum Fasces, ut Cives dubitent, Superine illos contulissent, an homines illos habere bellorum Caput, quos Orbis, si interrogaretur, demonstraret; illos Romani Solii æstimare vindices, quos Terrarum Imperio simillimos inveneris. Cor, nimirum, animaq; cùm sis Imperii, non tam vocibus, quàm mentibus populorum morem geris. Non majora faceres Divinior Auguste, quàm mortales agant, nisi vota etiam ipsa Orthodoxæ intellexisses Reipublicæ, & intima omnium desideria, priùs quàm depromerentur coronâsses.

Priùs enim Te, Regum Fortissime, omnium Gentium, priùs tacita omnium populorum desideria, suorum armorum Ducem, quàm suffragia elegerunt. Priùs Judiciîs nostrîs, Orbis Clavam tenere merueras, quàm accepisti. Nondum è Solio Regnoq; Tuo in Austriam pedem

pedem moveras, & jam publico de Te sensu obtinueras, talem esse debere qui à populis debeat adorari, amari à Regibus, ab hostibus formidari. Christianorum censebaris armorum Imperator, & nondum eras. Heroicæ Tuæ Virtutis existimatio, animorum occulta præsagia eò vocabant, quò Te immortalia pridem ducebant merita. Non longa Tibi deliberatione, publicæ felicitatis negotium, sed Cælesti quodam impetu instinctuq; commissum est. Ipse ad Te Honor, cujusvis moræ impatiens, quasi post longa tædia festinavit. Tu verò, ipsa etiam Augusti Corporis Majestate, ita novam hanc auxisti dignitatem, ut Matre Pulcheria, natus populorum deliciîs videaris Polone Martiane. Fastigiô Regiæ frontis transcendisti staturæ honorem, ut omnes Principis Animi dotes posses capere. Mens enim immensa, præcelsa indoles omnem mediocritatem dedignatur. In Augusto ad bellum hoc Te prodiisse, si aliunde non nossemus, cognovissemus, ex eventu; priùs enim Te intulisti Templis, quàm in Hostes ires; ut immortalitatem haurires à Numine & omnium pro Deo discriminum mortisq; umbram, deponeres in æternitatis atrio, in quo Sacras Tutelarium Regni exuvias, inter aurum & gemmas, etiam post mortem vidisti triumphare. Hinc nondum manus, nondum prælium commiseras, & jam in omnium Regnorum, si non invidiâ

certè

tate quasi domesticarum fortunarum oblitus, cogitabat, Sermones in conviviis, plausus in congressibus, ubique gaudia non aliunde nisi à Tuo ducebantur Nomine. Tua salute Regni Procerum personabant triclinia, sub Tui Nominis sidere, securè publica gaudia, plena natabant Amystide. Sive nobis Cælum reddebat, sive aliis ferebat Solem, nunquam ex ore populorum JOANNIS III. Nomen discedebat. Imò ipsa etiam nocturnæ quietis spatia, injecto nobis triumphali de te somniô ita fallebas, ut singuli Tecum coràm agere nobis videremur: Sublatô ex oculis diu nostrî immemores hærebamus, quasi Tibi in Hostes abeunti, singuli vires suas, roburq; consignâssent, diu ab imaginis Tuæ memoria, veluti à flore apes pendebamus. Audire nobis videbamur tubam, imo & vocem Tuam, milites animantem in bella, ipsi quin etiam conclamabamus arma, disponentem Acies mirabamur, intereramus præliîs securi, adornabamus Victoriam, antequam pugnares. Ubiq; nos Tibi, ubique Tu nobis, ceu Numen quoddam aderas. Fusis à Te insultabamus Hostibus, eò liberiùs quod ne nuntium quidem cladis relictum crederemus. Illud tandem effeceras, Regum Fortunatissime, ut omni cogitatione in Tuos conversa successus, cum unus alteri prospera vovere vellet, in Tua Nomina, eventusq; felices prorumpebat; quasi

ſibi omnia vota, curaſq; omnes, ſtudiaq; in-
columitas Tua & felicitas noſtra vendicaret.

Ad tædii lenimentum, quod Tua nobis pepererat abſentia, reliqueras nobis domi Sereniſſimum Alexandrum, Polone Macedo: tamen quò veriore ſimilitudine Te nobis referebat viva hæc imago, eò nos acerbiùs Tui conſpectus deſiderium cruciabat. Relucebas velut in ſpeculo, gaudia tamen noſtra metuſq;, Tuam, galeâ munitam frontem quærebant inter Hoſtes, aberas à nobis, obverſabaeris tamen animis ſingulorum; à vivo Tuo pendebant ſolatia noſtra ſimulacro, & tamen abſentem dolebamus. Jam triumphum canebamus, jam ordinabamus gaudia, & iliis ipsîs cruciabamur, iraſcebamurq; tantis tamq; intimis Poloni Orbis deliciis laſſabamur, eratq; quod nobis inter tot amores diſpliceret. Toties Coſròés, etiam ex domeſtico illo cælo, nubes quædam doloris confundebant, quoties nondum profligatâ Turciæ Lunâ ex profundo Biſtonii cruoris mari, vultûs Tui Orientem cogitavimus emerſiſſe.

Nullum in Templis carmen attentius, nullum purius, nullum Sanctius nobis fuit quàm cùm Cælo ſupplices pro Tuis ſucceſſibus palmas, tenderemus. Cùm verò votivis pro Te tabellîs pretioſiores nobis fiebant Aræ, domeſticus etiam Civium focus, ad quem, nulla gaudendi, nulla dolendi neceſſitas ſed

libere

liberè sua quisque gaudia doloremq; aperit, nunquam nobis lucebat splendidiùs, quàm cum Tui memoriam intimo sermone coleremus: & quasi ipse quoq; felicitatem nostram intelligeret, publicæ clarius arridebat lætitiæ, procul omnî fumô, ne cui lacrymam, tot inter gaudia, etiam casu eliceret.

Interim OLOMUCIUM quò magìs ex humanitate quàm ex itinere deflexeras, avidum cognoscendi Tui vultûs, effundebatur in atria, in limina, in plateas, è palatiis, è conclavibus è tectis, & tantùm non è corpore. Omnes suarum rerum oblivisci, omnes Tui unius meminisse; balbutire Tuas laudes pueri, viri res gestas efferre, gerendas præsagire senes, ubiq; in Tuos plausus, ubiq; in Populorum gaudia, ubiq; in Tuæ admirationem virtutis incidebas; hoc est ubiq; occurrebas Tibi; quia priùs, omnia Tui desideriô impleveras. In tanta confluentium undiq; populorum procella, ex Tui vultûs sidere ingens manabat serenitas, imò tota quanta Moravia, in omnes Te voluit bellorum casus comitari. Erumpebant populi, obvia sequebantur oppida, effundi vidisses tecta ipsa, ni sensu caruissent, omnesq; portas & vias, virtutis Tuæ admiratio, & faustæ populorum apprecationes occupâssent. Nemo interea temporis, suo dignabatur aspectu solem, quantumvis publicæ felicitati, solitò clariùs arridentem: omnes à Tuo vultu pen-

 debant,

debant, etiam in medios Tecum ituri Hostes, si permisisses. Gravius erat omnibus securis esse domi, quàm unà Tecum belli procellam sustinere. Tu verò benevalere cunctos jubebas, & præ insolitó gaudio circumfusæ multitudinis, ex triumphali Galeâ prorumpentes interdum lacrymas, nostris miscebas. Et hæc una fuit mora, quam in procinctu bellorum nectere cogebaris, ut devintissimos Tibi populos, domi suæ relinqueres, haberesq; quos ab hoste defenderes. Irascebaris moræ, singulos tamen complecti volebas, difficiliusq; Tibi fuit obstantium interdum frequentiam Civium, plaususq; superare, quàm barbaros.

Quàm diu plerumq; ab aliis belli vel pacis exspectanda sunt arbitria? quasi; à Delphico venirent Apolline, Tu felicitati publicæ, Tu securitati populorum, Tu fortunis omnium tanta celeritate consulis, quanta velles succurrere. Tanto rationum pondere Heroica vota Tua imples, ut priùs illa hostis timeat, sentiatq; quàm ad exitum deducantur. Solis olim Romanis Imperatoribus, Solenne erat, sedendo de hostibus triumphare; Tu amicos quoque pulcherrimo toties ducis in triumpho, quoties exspectationem omnium gravissimô vincis consiliô, & parsimoniam verborum, maximarum momentîs rerum supples. Aliorum numerantur consilia, æstimantur Tua, in arduis subitisq; casibus, & promptiora, & fortiora.

fortiora. In primo quoq; illo Socialis belli comitio, Maximorum in Imperio luminum frequentiâ florentissimo, prope Tulnensem Danubij ripam, Cremsam inter Viennamq; Sapientissimè desiderâsti aperiri consilia, non declamari. Surgentem de Sententiæ primatu procellam, quam sive dignitas, sive æmulatio paraverat, tam facilè Tibi fuit superare, quàm armorum moderatoribus describere. Ita de animorum priùs tempestate, quàm de barbaris triumphâsti. Et hoc demum est non manum tantùm, Imperatoriæ parem habere Clavæ, sed & mentem. Dicam omnia Regum Sapientissime, hac viâ, longè securiùs, quàm parato illo ponte, in oppositum Danubii littus totum exposuisti Exercitum. Sed heu? per quos pericula ad immortalem itur gloriam! quos vallis Oriens indigebat, ne à Te posset conveniri.

Composita Regni Tui alieniq; Imperii procellâ, trajiciendus erat Danubius; victô Danubiô, superandi fuerunt montes; subjectis montibûs, penetrari Sylvæ debuerunt. Quasi non iter ingressus fuisses, sed prælium, cum Saxis, & Sylvis, & feris, priùs certâsti, quàm cum hoste; per tot juga contendisti, ut Viennam solveres à Jugo barbarorum. Supercilium asperrimi montis imminebat viæ, non angustæ modò, sed plerumq; præruptæ: Tu tamen omni discrimine altior eminebas: Ubiq;

Tibi periculis major gloria occurrebat: eoque militem ducebas tramite, quò vix leviores feræ pertingebant. Auſtria verò vicinum melioris fortunæ ſuæ diem meritò conjiciebat, quando ſuos Tuâ purpura rubere montes vidit. Quantumvis alta, tamen adhuc altiùs erigebant ſe ſe culmina, Tua magnitudine. Minor eſt collati Tecum Alexandri fama, per aſperos Ciliciæ montes in Perſiam contendentis. Anguſtior illi fuerat aditus, quàm ut omnia caperet alimenta, quæ victæ Provinciæ, non tam ad neceſſitatem, quàm ad luxum Macedonibus deferebant.

Tu triduanam Exercitûs famem, ſitimq; ſolîs futuræ Victoriæ cupediîs, & Sangvine barbarorum relevabas. Palam erat, quantùm poſſit Polonus Miles ſuſtinere, ſi graviſſimum vitæ humanæ telum famem, tam diu ferre poteſt. Quid non feciſſes poſt epulas Polone? Si jejunus tot dediſti fortitudinis prodigia. Ite, ite in hoſtem immortalî veſtigiô, invicti Lechiæ Proceres, poſt tam longam famem amicæ telluri leviores, Biſtoni graviores. Saginentur interim barbari, ut pecudum more, cariùs moriantur: ut plùs effundant ſangvinis, plenîs corporibûs deſcendant in arenam. Palatum Veſtrum omnia faſtidiat, præter Victoriam.

Quaſi ipſam victoriam & infauſtos Vezyri exitus, in conſilio habuiſſes, per aſpera montium, & ſylvarum invia celerabas viam. De

tam

tam Superbo hoſte, lentam victoriam, & ſegnes triumphos dedignatus, à bello malebas abſtinere, quàm tardè vincere, palam facturus, quòd non tam pacis remedium, quàm excidium quæras Barbarorum.

Fieri ſolet, ut cùm ultimi diſcriminis tempus allabitur, in ſolicitudinem vertatur fiducia. Tu quò vicinior eras Hoſtibus, eò Securior videbaris. Illam ipſam Orientis Fortunam, quâ tot bella gerebat proſperè, in omen Tuæ vertebas Victoriæ: ex his, quæ aliis eripuerat, ut daret Barbaris, quàm mutabilis eſſet, reputabas. Interim non de ſtratagemate, aut dolo bellico (quod aliis ſolenne eſt Victoribus) ſed de aperto prælio cogitabas. Nulla fraude pretioq; emere voluiſti triumphum, ſed mereri. Etiam hoſtibus illam relinquebas felicitatem, ut ſe fortiter tueri poſſent, & Tu vincere glorioſiùs. Tunc demum dignam Tuâ fronte lauream credidiſti, ſi eam non dolus, ſed heroica virtus peperiſſet. Non dignabaris in illum arma ſtringere, cui ſpatium pugnæ, ſpemq; victoriæ non dediſti.

Tot Machinarum audiebas FULMINA, quibûs Vienna petebatur, & Tu non tam belli Claſſicum, quàm triumphi dari Signum, Tuis dicebas Heroibus. Ingentes prope tonabant moles, & Te graviùs laceratæ Urbis lacrymæ verberabant. Trecentîs prope armatorum millibûs, non ita Viennenſium ſpemq;

metumq; Civium, & muros, quàm Tuam gloriam, promissamq; fidem, & clavam peti cogitabas. Barbari fossoris ligo profundè tellurem scindebat Austriæ, & Tu vulnera sentiebas. Intimas Tuo cordi fibras eripi querebaris, toties, quoties effossæ viscera terræ jactabat hostis. Ite in antiquitatis memoriam, Sæculorum fidem repetite; dicite, quis unquam mortalium tantùm pro suo auditus est solio desudâsse, quantùm Tu pro alieno, Principum Religiosissime, Fortissime, Fortunatissime.

Vix in conspectum veneras Castrorum, & jam, qui ultro bellum intulerat, provocari se Hostis sentiebat; Hostis, majorem terrarum partem, non tam Victoriîs; quàm triumphîs pervagatus; Hostis, quem ne illa quidem poterat sustinere tellus, quæ genuit; Hostis ad perniciem generis humani natus, & excidium populorum; Hostis, cui ipsius etiam mortis contemptus, eò facilior fuit, quò minorem vivendi causam habuit, quàm Poloni. Te tamen unum adesse, sensit graviùs, quàm Septuaginta millia armatorum, quæ in aciem produxisti.

Tum demum se confessus est, major animô metus, & quò plus puduit deprehendi, eò violentiùs malè clausi pavoris signa, per vultus oculosq; indices erumpebant.

Postquam adventum Tuum pavidæ nunciaverunt excubiæ, vix credenti jam occur-

rere,

rere, quem toto divisum credebat orbe, priusq; lapsurum è Cælo Solem, quàm JOANNEM III. movendum è Solio jurabat.

Tu verò minora dedignatus adire pericula, tunc Viennæ succurristi, quando omnes desperaverant; ut constaret omnibus quis vinceret. Magna parte priùs, sive mœnia, sive propugnacula Urbis ceciderunt, quàm venisti, à longè magnum Hospitem cadendo venerata; sedibûs emotæ suîs, ædesq; turresq; non ruere, sed exsilire in occursum V ctoris videbantur, valla, imò fossæ etiam ipsæ cladibûs exæquatæ, ante adventum Tuum periêre. Quasi palam faterentur: exutæ propugnaculîs Urbi satìs fore munimenti, à triumphali CLYPEO JOANNIS III. Rumpebatur tellus Austriæ, non tam vî subjecti pulveris, quàm præ gaudio Liberatoris ex Polonia venientis.

Cedit, cedit Tibi gloriam non recentium Sæculorum modò, sed totius memoriæ vetustas. Ut de Romanis triumpharet Annibal, Castris solebat interesse, non prælio. Xerxes ut navalem referret Victoriam, spectavit hostem in arena. Augustus apud Actium eventui aderat, non periculo: Te Regum Fortissime semper in prima acie, semper ante Signa, ubi plùs periculi, quò maximus Hostium globus ingruebat, spectavimus.

Ego magìs Tibi, aut veriùs dicam nobis, singuli timebamus, quò ipse de Te fuisti securior,

rior, invictæ tamen Tuæ Virtutis memor noſter amor, quò minorem timendi cauſam habuit, eò fuit fortior, ac inſignior. Non enim fortitudini diffidebamus Tuæ, ſed noſtris in Te indulgebamus affectibus, tantò validioribus, quò minor fuit metus præſentis periculi, quàm lætitia venturæ Victoriæ. Humanorum memores eventuum, Fatorumq́; unum illud timebamus; ne apertâ præclarè moriendi occaſione, ingens animus anguſtæ telluris impatiens, ad conſangvinea magnis Virtutibus Cœli limina raperetur, ſed Tu noſtræ tantùm felicitatis memor, ſuprema pro nobis pericula ſubire maluiſti, ac inter nudos Hoſtium enſes iraſq; verſari, & Tui conſpectûs avida interim differre ſidera.

Unum erat, quod formidabas, nimirum, ne diutiùs ingens ille numerus perire poſſet, quàm Poloni manu ſternere, & quantumvis non virtute Hoſtium, ſed ipſa diuturnæ cædis vincerentur laſſitudine. Tanta enim Hoſtium erat colluvies, ut non ad unius Urbis, ſed ad Orbis totius excidium, ab ultimo terrarum cardine, ubi ſol fervidior, horridiora monſtra educat, videretur in aciem illam erupiſſe.

Hic Jabłonovius Magnus Polonæ militiæ Ductor, Varſavienſibûs, Sakmarenſibûs, Cudnovienſibûs, Chotimenſibûs, Złoczovienſibûs, Staviſzcenſibus, Zoravnenſibus, ſive præliîs ſive laureîs pridem inſignis, dextrum Cornu,

Læ-

lævum Lotharingus Sieniavius non minùs bellorum, quàm avitæ ſuæ Lunæ ſplendore Illuſtriſſimus, Lubomirſcius, Saxo, Bavarus mediam moderabantur aciem: Rex omnia. Quamvis ſuperbus Hoſtis, nec ſpatium quidem pugnæ dederat, ne locum daret Victoriæ.

Jam in conſpectu erat utraq; acies, cum priores Getæ, Turcæ, Arabes, Valachi, Moldavi, Ungari, Tranſylvani, Bulgari, Serbi, inconditum & trucem ſuſtulêre clamorem. ignes totîs Caſtrîs collucere, omniaq; velut continenti incendiô ardere viſa. Redditur more patrio, & à Polonis ferri major quàm vocis fragor, volant in hoſtem Haſtatæ Legiones, quibus nihil orbis habet ad Majeſtatem terroremq; grandius, nihil Oriens formidabilius, nihil Mars ipſe fortius vel votô ſaltem poteſt concipere. Tonant utrinq; majores belli machinæ, miſcentur acies, conteruntur Signa Signis, armis arma, clypeus clypeô retunditur: Vir cohæret Viro, non timido, non forti, non ignavo, ponere arma licet. Hinc ſtrenuus Lotharingus, hinc fortis Sieniavius, hinc acer Bavarus, inde impavidus Saxo tonat, hinc tot laureîs inſignis ruit Lubomirſcius, inde fortiſſimus æquè ac fortunatiſſimus Jabłonovius, ſæpiùs dextrâ in hoſtem alâ involat, cædit, fugat; hinc Regum Sapientiſſimus omnibus dat pugnæ leges & Victoriæ, ac præſentiſſimi ubiq; inſtar Numinis, omnia abſolvit, tanquam ſingula. Horis

Horis prope novem, dubio ancipitiq; Marte dimicatum, quasi non unius Viennæ, sed totius Orientis alea verteretur. Tu interim Regum Invictissime ita non Ducis magis quàm militis agebas munus; ut etiam ab illo Hostilium Castrorum ordine timereris, à quo longè aberas. Cum ab una Legione ad aliam transvolares, ipsa illa formidabatur fiducia, eò quod à Te suas contemni vires sentiret Barbarus, quoties partem aliquam deserebas. Nulla proinde Turcarum fuit statio, ordo nullus, nulla legio, quæ tuam aut non sentiret manum, aut non horreret. Ceu FULMEN quoddam omnium obversabaris oculis, etiam tunc cùm Te aliò ingens belli calor rapiebat. Hostis quidem ita pugnabat acriter, quasi mori non posset, aut post mortem quoq; esset pugnaturus; Tu ita fortiter instabas, ut per àërem etiam velle ruere videreris, si tellus defuisset· Quanquam ipsi Barbari, involâsse Te in suas acies, non venisse crediderunt. Verterunt ergo in Hostem, tristissimum illud funus Superi, quod Viennæ, quod Austriæ, Ungariæ, Bohemiæ, dicam clariùs, quod Orbi Christiano paraverant. Fecisti ut ipse sibi ad tumulum Oriens præluceret, nam neq; Te decebat vincere nisi tot Regnorum Dominum, neq; illum vinci, nisi à Te. Diu quidem pendebat Victoria, sed ut palam foret omnibus quantùm Tibi pro illa Romanum deberet Impe-

Imperium. Ad aliquot horas Cladem Hostium extendisti; ne quis facilè grandem Vezyrum posse cadere cogitaret. Habent suam ingentes clades moram; habet suum magna ruina spatium; tardiùs cadit turris, quàm arundo, omnibûs belli tonabat fulminibûs furor Otthomanicus (ut pluribus constaret sua clades) tellus trepidabat, ipse Sol pallidior incedebat, Tu ne semel quidem laureatam frontem contraxisti. Polonis justa proferentibus arma, nihil esse seipsis formidabiliùs, inquiebas. Orthodoxæ Reipublicæ, cujus alea vertebatur, stipatus affectibûs, non ruebas in hostem, sed volabas, suas enim Tibi omnium populorum amor addebat alas: Tu verò Commilitonibus Tuis, necessitatem quandam insolitæ fortitudinis, imponebas exemplô. Longum nobis ante pugnam certamen Tecum fuerat, ne Te ita fortiter apertèq; Hostium telis objiceres, sed Te pudebat de salute illa extimescere, in qua publica nostrùm omnium posita fuit securitas. Vezyrus ergo pavidus, ne in Polonas veniret manus, Magno Tartarorum Duce coram, geminisq; plorantibus Filiis, in spem tantæ Fortunæ genitis, quanta, paulò ante illorum Parens terrarum Dominîs eminebat, uberes solutus in lacrymas, tacitè suam increpabat audaciam, quòd sua Tuis conferre signis arma, cogitâsset. Dicam clariùs: grandis Vezyrus, qui tot Regnorum præfuit funeribus, & in ipsi-

in ipſius Fortunæ manibus, ac triumphis conſenuit, Te coram, Bellator Emeritiſſime, repueraſcere coactus eſt, & planctus effundere, quos Septuaginta quinque Regnis, crudelis Dominator exprimebat.

Indecorè deinde, projectîs inſignibûs Imperii, ne tam turpis fugæ Ducem proderent, obvio temerè impoſitus equo, quà ad exitum exitiumq; patebat via, prorumpit; Caſtra & belli machinas, quibûs tot Regna nuper concuſſerat, deſerit. Nimirum, ubi Te conſpexit Hoſtis, etiam ipſa Victoriæ ſuæ munimenta & triumphorum auxilia, cœpit formidare; nova omnium animos formido inceſſit, de capienda enim Urbe, triumpho, quàm prælio erant propiores. Ipſa diſcurrentium feſtinatio Ducum, arma conclamantium, & ordines, majori tumultu Caſtra turbabat; ingens exercitus, jam ad hoc, jam ad aliud intentus imperium multitudine laborabat ſua: tum verò alii diſſipantur metu, alii tot fiducia victoriarum tumidi, ad prælium redeunt, ne deeſſent, quos ducerent in triumpho. Nemo in fuga Hoſtem numerat; ex iis tamen, qui in acie ceciderunt, conſtabat, innumera Turcarum millia in campos evaſiſſe.

Neque enim tuam Victoriam, neq; tanti Hoſtis funus, Caſtrorum anguſtiæ ferre poterant. Per tot ergo ſpatia terrarum inſtabas fugientibus, cædebaſq; Siculas Otthomanis daturus

turus vesperas, nisi altîs strati cadaveribûs, campi, Victoriæ moram posuissent. Agebatur in Ungariam, more pecudum, agmen illud omnium oblitum fortunarum; & quod olim à crudelissimi Ducis, non Signo modò, sed etiam metu pendebat, ne aspectu quidem fugientem dignabatur. Omnes Tuæ fortitudinis, sive metus, sive reverentia, in superbissimi dominantis odium armaverat. Ambitiosissimum illum Hostem, qui se ex astris cecidisse, suôq; superciliô, velut Atlante Cælum, Imperium Orbis terrarum, niti putabat, qui alios extra se, tantùm non muscas arbitrabatur, aut culices, qui Soles ipsos ad invidiam, armorum splendore provocabat, mox ignibûs extinctîs solitò funestior, Luna spectare fugientem dedignata. Castrîs ergo fortissimè occupatîs, nulla maximæ fortunæ facies deerat; relicto superbo belli apparatu, palam fuit omnibus, quantum Hostem viceris. Minima pars prædæ, nitratus pulvis, & plumbum, duobûs millionibûs æstimata; majores belli machinæ ducentæ captæ, minores mille sexcentæ, harum singulæ, minimùm quadringentas sexaginta duas pulveris libras capiebant.

Nullus unquam (teste Floro) pulchrior in Capitolium, aut speciosior triumphus intravit, nihilq; libentiùs populus Romanus aspexit, quàm illas, quas olim timuerat, cùm turribus suis belluas, quæ non sinè captivitatis sensu

sub-

submissis cervicibus, victores equos in urbem sequebantur. Et erat hæc pompa ingens, triumphabatq; imbellis etiam populus de ipsis feris, cùm jam Hostes defuissent. Amabat formidines suas oculus, & securo metu tenebatur, horridè quantumvis indignantibûs belluîs, quasi intelligerent suîs humeris Quirini nominis ferri gloriam, puderetq; Capitolio deferre suam cladem. Legebantur, in attritis etiam ferarum vultibus integræ adhuc ferarum minæ, & mediâ jam pænè in morte ira vivebat. Ipsæ illæ quæ præferebantur Leonum exuviæ, mortem adhuc vulneraq; suis Victoribus minabantur. Insolita nascebatur ex triumphali horrore illo voluptas; in pardis placebant maculæ, in monstris, ipsa deformitas fuit spectaculo. Eò liberaliùs, informibus belluis plaudebatur, quò magis insolentissimis illius seculi moribus, blandiri feritate suâ, videbantur. Ita latè plausus pompæ illius exundabant, ut captîs alieno ex orbe feris, triumphi sui gaudia Roma non caperet. Remisisset Gentium Dea, Urbium Caput Roma, de alto illo supercilio, à quo Terrarum Orbis pendebat, modestiùsq; pompas æstimaret suas, si non tantùm tot millia Camelorum, sed (quod nunquam alias) ipsas etiam Lunas Turcicas, Tuo vidisset in triumpho, Regum Fortunatissime; alios tot tantosq; Otthomanici Martis greges, non memoro, unum exclamare libet:

quan-

quantum illud bellum esse debuit, quòd à tot ferebatur belluis, tot tantîsq; machinîs alebatur ad Victoriam! Quanta Tui vis animi, cui tot triumphorum apparatus impar fuit Regum fortissime.

Ne verò superi, tam Sanctæ pro Aris Victoriæ, desiderarent nuntios, nonnulli ex acie tota, vitaq; in cælum abiêrunt. Et hi, quòd in tam gravi gloriæ immortalis puncto excederent, desiderari se à Posteris gravissimè vetuerunt.

Altis Oriens incluserat vallis Victoriam ne transiret; sed alas illi Polonæ Germanæq; Aquilæ addidisti, ut evolaret. Fabulam Orbis credidisset, tot annorum apparatum, aliquot horîs dissipari potuisse; nisi Tu immortalem fecisses historiam. Quasdam Numinis vices geris, Regum Optime; quæ dicis, agis. Dixisti cessurum Tibi Hostem, cessit alius ex Castris, è vivis alius. Divina vox mundum fecit, Austriam servavit Tua. Cælestibus addidisti fidem Oraculis, palamque jam est hodie, quòd etiam Urbium intacta Virgo Vienna, JOANNIS tutelæ debebatur. Palàm, quòd JOANNE quoq; III. Major nõ surrexit. Sed parùm est, quòd alios superes, cùm Te quoque ipsum vincas Regum Maxime. Major est JOANNES III. Rege, Major JOANNE TERTIUS. Injecit Xerxes frenum fluctibus ad Hellespontum, ad Tyrum Macedo, Ludovicus decimus tertius ad Rupellam, sed ignoscite Terrarum

Domini, minùs est Neptuno pontem injicere, mari frenum imponere, quàm Orienti.

Captos deinde in prælio Barbaros, quàm illibatè, quia sanctè habuisti? Nihil illis ex pristinæ fortunæ magnificentia defuit, præter arma. Ita omnia mæroris occupabas spatia, ut minimum tristitiæ locum relinqueres. Etiã atratos illos vultus inaudita gentis suæ clade, non patiebaris funestari. Quasi ad Clementissimi Principis spectaret Victoriam, etiam tristes captivorum curas Hostium, expugnare. Mutant secundæ res animam, & nihil ita mortalibus arduum, quàm summæ fortunæ modum ponere. Tu ingressus Viennam, ingressus Urbem, Orbe major, laudabas Szterembergianæ fidei fortitudinisq; prodigia, nesciebas Tua; quasi non Imperatotis vices in illo prælio, sed militis implevisses, omnia Te fora, omnes viæ, ædes omnes, templa, Liberatorem Urbis & Austriæ conclamabant. Tu interim Leopoldi Augusti Nomina, Tu illius Sanctimoniam, Tu felicitatem Imperii, Tu Heròés illius celebrabas. Ad Urbem Te, non ad Triumphum venisse monuisti. Liceat hic mihi Tuum Regum Fortunatissime interpellare fastigium: Quæ unquam fortitudinis prodigia? quæ munera Fortunæ? quæ dona Superûm? quæ Victoriæ? qui triumphi Tuam corrumpere poterunt modestiam? si fusus fugatusq; Oriens, si capta Turcarum Castra, si Vienna Hostibus

ſtibus erepta, hoc unum à Te elicuit, ut palam diceres: minùs Te adhuc feciſſe iìs, quæ Reipublicæ Orthodoxæ ſecuritati, quæ Auguſtiſſimi Leopoldi Gloriæ, quæ illorum populorum felicitati deſtinâſti. Geminat tamen plauſus modeſtia Tua, cum ita ſe inclinat, ut de ipſa inauditæ hujus Victoriæ triumphet invidia: Nemo enim audet mortalium eam invidere Victori gloriam, quam ipſe, tanquam ſuo imparem voto, diſſimulat aut ſpernit. Vidimus tamen adventui Tuo, ipſos etiam Urbis luctus arriſiſſe, vidimus gaudia natâſſe in lacrymis, vidimus lacrymas effuſas in gaudia, vidimus triumphalibus veſtigiis impreſſa oſcula, & felicitatis erat ſumma, ad manum Regiam ſagumq; per confertiſſima ſalutantium Populorum agmina pertigiſſe. Vidimus in ipſo ingreſſu laxatîs anhela rimîs mænia (quaſi grande aliquid loqui vellent) aperta. Vidimus exultantes domos, confertos pompîs aditus, omnes magnitudine lætitiæ laborantes vias. Non miles tunc ſenſit vulnera, non Urbis cladem. Rediit omnibus prima facies, quam duriſſimà obſidio & ſævior quavis obſidione timor corruperat. Suæ oblitus calamitatis effundebatur populus, & tam novæ felicitati ſuæ, dubitabat adhuc credere, quam ferebas. Multorum vox illa erat, omnium verò ſenſus: O Fortunata Viennæ pericula, quæ tot nobis gaudia pepererunt! O diem majore ſidere notan-

dum, non gemmâ? Minus Illustres fueramus, nisi tam vicinum habuissemus Orientem. O Idus Septembres, quas vobis ætates! quos triumphos? quas pompas conferam: quod enim spectaculum toto orbe terrarum sol vidit illustrius, Victore Orientis modestissimo! ferebaris in Urbem, non curru triumphali, sed desideriîs, votisq; populorum; non priùs ingressus portas, quàm animos, tot ædes Regias, Viennæ habuisti, quot Civium fuerunt corda, ad quæ, non tam ex Hostium Castris; quàm ex Tuæ fortitudinis theatro redire videbaris: Jam classica, jam tubæ, conticuerant, Tu cædem adhuc & funera, & supremam cladem Turciæ minabaris. Jam fora Viennæ tectaq; præterierâs magnus Hospes, & nondum extinctus erat oculorum ardor, nondum Martiæ severitas frontis, nondum vultus iras deposuerat. Totus eras etiam post Victoriam in prælio. Saucii tamen pertinacissimô illo bellô Cives, satis se valere existimabant, si Tuum vidissent vultum, qui vitam Viennæ, salutem Populis, Gloriam Leopoldo ferebat immortalem.

Deprecabaris plausus, Principum modestissime, vetuisses, si per novi jura Hospitis licuisset. Et novum hoc fuit spectaculum, novi triumphi pompa, Orientem timere Vienna desierat, & Tuam cæpit verecundiam formidare, ne plausibûs læderetur.

Vidimus alios etiam ante bella de statuis,

de ima-

de imaginibus, de palmis, de curribus & Capitolio cogitâsse. Jam sub malleo siciliæ, jam Tybur gemebat, jam ferrea manu cogebantur marmora, ut Victoris imaginem susciperent. Jam ab ultimo Græciæ littore, Apelles, jam Praxiteles ex Ægypto festinabat; Describebantur in Provinciîs mancipia, & integri ferarum greges, qui marmor ex Numidia, Ebur ex India, Æs Corynthô deportarent. Ambitiosissimus Victor jam urbes, jam insulas, jam regna, triumphi apparatu fatigabat, & nondum hostem viderat. Diu arcus, diu Templa, novos Victoriæ titulos expectabant. Diu stabant Aræ nullo inscriptæ nomine, diu pallebat aurum: timidum cujus imagini servaretur. Dicam simul omnia: legimus alios, ante Victoriam olim triumphâsse: Tu Regum modestissime, jam fracto, jam pulso Hoste, Viennam es ingressus, ut caderes ante Aras, & bellorum Authori optimo Maximo DEO, pro Victoria haberes gratias, non ut triumphares. Tot Imperatorum vestigiîs tritum illud limen adiîsti, ut Divo Viennæ Tutelari Stephano Tuam lauream palmasq; dedicares, non ut Coronam acciperes triumphalem. Ita Majestatem Tuam Divinis illis ædibus intulisti, ita Te Cælitum imaginibus addidisti, ut si Te Numæ vidissent Sæcula, unum è cælestibus credidissent simulacris, aut in Suorum Ata Numinum, posuissent. Ni-

mirum parùm Tibi est de Hominibus triumphare, nisi immortale quoq; numen, fortissimis precibûs fatiges, atq; vincas. Ita enim cælo supplicas, ita rogas, ut negari Tibi possit nihil. Satìs est aliis, Divorum inter pulvinaria à forensium strepitu quiescere. Tu ita Divinis ades altaribus, ut agere Sacra videaris; Ad incredibilem Sanctimoniæ famam sufficiat aliis, marmoream (è vero) sui imaginem inter Aras finxisse compositam, & Saxum arte longa, ad reverentiam Numinis, vicesq; suas gravi ferrô, crebroq; ictu coëgisse. Dent suum alii siculis vultum Saxis, & effigiem; sudent sub solidæ Virtutis mendacio, illatæ Sacris Altaribus rupes, omnem moveat lapidem simulatio, ut nobis, suæ probitatis opinionem persvadeat. Ut diutiùs in templis stare possint magna nomina, intimè se moveri nesciis imprimant marmoribus. Frigidissima tamen, me Hercule, illa Religio, quam gelidus silex loquitur. Indecorum est, saxeam plùs habere pietatis imaginem, quàm exemplar. Stare in Templo, cùm moveri non possis, magìs est devotam tellurem occupare, quàm esse pium. Infelix ille cultus, quem æquê homines intendunt atq; saxa. Tu quasi unus ex nobis, humile diu fundebas carmen precesque. Quia verò supra nos eminebas Augusti proceritate corporis, sæpiùs ante Aras cadebas, ut parem Te nobis posses

facere.

facere. Pudebat Regiam non velare Majestatem, ubi Deus velat suam. Meministi etiam, Principes ibi supplicare, non regnare. Ita omnes æterno cultui vires impenderas, ut Regiæ oblitus videreris Majestatis; jurataq; cælo pietas, exundâsset per oculos, nisi fugientium sangvinem Hostium, triumphali ferrô, superis maluisses propinare, quàm lacrymas. Ergo Templîs digrederis, limen Religionis Tuæ, non curas mutaturus. Delibatîs enim epulîs, totam sitim famemq; ad Romanæ Fidei Hostes, ad Orthodoxi Gloriam Imperii, ad nostram securitatem, convertisti. Jam non suo modò, sed totius Orientis mærore, tantùm non confectum, & equos subinde mutantem Vezyrum, eò longiùs abstulerat fuga, quò plura in Castris reliquerat. Ingens circa illum ordo militum, sed major fuit suprema metuentium curarum Comitatus: quasi tamen suæ immemor esset calamitatis, infelicem dissimulare vultum, quæ Fortuna fuisset discrimini, non requirere; spem Victoriæ, quâ ebrius Castrîs, excesserat, adhuc eructare; negare se victum, si tot triumphorum auctor exercitus viveret. Nihilominùs Præfectos Ordinum, & summa militiæ Capita monere: Vigiles ponerent excubias, & non tam corpora curarent sua, quàm belli gloriam. Milites verò qui nihil Castrîs extulerant, præter vulnera, aut dedecus immortale,

non suîs vocare nominibûs Vezyrum; increpare fortunam; quæ amisissent, ad calculum revocare: Sed minus erat noctis illius spatium, suîs cladibûs. Tu verò eô vultu, fugacibus instabas Turcis Parthisq; quô alii Pardos insequuntur, & in apertissimæ mortis faucibus, velut in æternæ pacis fronte lusisti. Si quem tunc, inter Commilitones Tuos Thersiten habuisses, Te semel aspecto in Achillem abire debuisset. Hoc enim unum in acie illa timebas, ne veniam à Te barbarus Hostis peteret, qui pridem mille mortes meruerat. Quare ita feliciter, in vultus illos triumphali Tuorum ferrô impingebas, Regum Fortissime, ut imprimis usum lingvæ adimeres.

Neque casu forteq; evenisse, at cælitus concessum crediderim, & in in favorem Victoriæ Tuæ, Regum Invictissime quòd eodem ipso vespere, quô cladem illam Orbi Christiano triumphalem, patraveras, magna nitrati pulveris pars conflagraverit Nimirum Poloni militis ardor, ita omnes Hostium vires irasq; aversari debuit, ut ne pulverem quidem Turcicum, in vicinia pati posset, totam suam securitatem, non in Barbaræ fiduciæ apparatu; sed in Te uno reponebat; satis ad Orbis tutelam universi, fore munimenti arbitratus, JOANNEM III. Solennem ergo Tibi pyram, qua poterat arte ipse ille Otthomanici Martis æstus instruebat, scintillabatq;

acrius

acriùs erumpens in triumphum ignis, tacitas testatus iras, quòd in auras, & non in Tuos abiret Hostes. Erigebat se se, & sideribus æquabat, superba Victore suo flamma, & crescebat, illustrium operum Tuorum luce, addita aut potiùs recreata.

Heroicam virtutem Tuam cùm Austriacus Orbis non caperet; in Ungariam abiisti. Quacunq; verò per memores tantorum operum Urbes equitabas, extemplò datô veluti signô convelli tecta omnia, effuso populus cursu contendere, unum salutare omnes, uni omnium annos ætatesq; precari, pro fusis fugatisq; hostibus, illas habere gratias, & ita sinceros plausus, atq; si Castra illa, unà Tecum singuli expugnâssent. Nova nobilitate donabas Oppida, quæ nunquam Sæculorum memoriam, nunquam stylum, nunquam calamos nossent Oratorum, nisi Te Hospitem habuissent. Stetissent ignota ætatibus, nisi illis perennitatem, cum immortalibus, Tuorum vestigiis, impressisses.

Viarum fessi asperitatibûs, Heroum animi, ipsa etiam corpora exuebant. Tu Regum Fortissime, tota illa tempestate, nescio an baltheum sagumq; semel posueris. Aureus securitatis nostræ amor, ferream etiam tunicam, ita Tibi levem reddiderat, ut nihil humeris Tuis sentires incumbere, nisi salutem Populorum. Extingvebantur noctes, dies accen-

deban-

debantur, Sol ſideraq; labebantur, iterumq; redibant, ut Te viderent, poſitis aliquando belli curis quieſcentem.

Tu verò, noctu, magni cujuſdam ſideris more, effuſa oculorum luce videbas Hoſtem, die verò FULMINIS inſtar procul agebas Getam, Beſſum terrebas. Tacitus interdum naturam accuſabas quòd Te centoculô oculatiorem Argô non feciſſet, ut pluribûs pro nobis poſſes oculîs excubare; nos interea quaſi æternam quietem, Tuîs ſecuri periculîs utraq; admittebamus aure.

Toto deinde itinere menſæ Tuæ frugalitas quanta! tam difficilè eſt mihi dicere, quàm Tibi facilè fuit experiri. Principis Fortunæ moderationem, hoc eſt virtutem, quàm vocamus auream, vix in Te procul ſpectârunt, vileſcere ſibi cœperunt Ungariæ montes aurei, Regias inter dapes nullius experiebaris rei guſtum niſi Victoriæ; detrahebas Tibi, ut plura fameſcenti militiæ largireris, & tum demum ſatiabaris, cùm indigentium expleres famem, ſitim extingveres; Faciebas, ut calamitatem bellorum nemo ſentiret, præter Hoſtem: quòd Commilitonibus deeſſe viderat, ferre apud ſe non poterat menſa Tua. Ita ferebas Sortem alienam, ut quicunq; illam ſpectâſſet ex miſeris, indigentiam ſuam appellâſſet felicem, cujus pars aliqua inter liberos Regis amores locum habuit. Nobilitabas illo-

illorum indigentiam, quando illam Principes inter cupedias censuisti, vixque interdum ferendam militum Tuorum inopiam, Tuæ moderationis exemplô levem faciebas, facilemque. O triclinium! dicam veriùs, O Sacrarium virtutis Serenissimæ! O dignum, de sua Fortuna triumphante Rege, Capitolium.

Ita demum omnia terrarum locorumq; emetiebaris spatia, ut per omnium Populorum gaudia, per ora Patrum, per omnium corda Civium, inter acclamantium vota, inter gratulantium carmina, plaususq; ubiq; incedenti quotidie esset triumphandum. Desiisses tandem ventosa Babylon, Tuos illos Hortos Pensiles, non tam efferre, quàm jactare, si tot ubique Palmas, si tot Laureas JOANNI III. vidisses imminere.

Sæpè ut publicæ de Te lætitiæ modum poneres, diu persvadere debuisti, quòd non solus vicisses sed, omnium Austriæ Ungariæq; Civium amores Tecum in prælium descendissent. nisi enim obviæ Victori Urbes plausus & lætitiam temperâssent, dubitabas, an plura reduci præstari possent.

Fortissimi Tui commilitones, æstivo circumventi sole, ita sudabant, ut inter fugientis Hostis odia, diffluere omnes crederentur, Tu tamen, quantumvis tot curarum mole & corporis Majestate gravis, calentissimo in Imperium Patriamque amore adeò flagrabas, ut

ipsos

ipsos etiam, solitò fervidiores illius cæli Soles in Tuæ admirationem fortitudinis accenderes. Æstiva sidera, Tuo intendebant ardore radios; mirumque erat, in illis incredibili æstu laborantibus sive animis, sive Regionibus, altam sitim quietis extingvi potuisse; quasi fortitudinis aura Tuæ, novas in dies in omnium cordibus aleret belli faces.

Inter busta tumulosque quasi inter trophæa; inter graveolentia cæsorum cadavera corporum, quasi in Horto Hesperidum, aut Campis Elysiis versabaris. Feræ ipsæ, horrebant obvias ubique tantarum calcare animarum exuvias, & in vultus Barbaros impingere, qui minas adhuc & iras spirabant post animam. Tu iter celarabas, quasi ad triumphum, non ad pericula festinâsses. Majus esse Turcarum Imperium quàm robur, Barbaros, plures Victorias, quàm prælia numerare, viresque illis, minores esse virîs inquiebas. Illîs demum ipsis passim jacentis Austriæ bustîs, pyrisque villarum, quæ adhuc fumabant, Commilitiones Tuos accendebas in prælia.

Jam, per quot discrimina Strigonium petiisti Regum Invictissime, ut palàm faceres Heroibus Tuis, omnî triumphô securius esse periculum, in quod ipse etiam vocatur, DEUS, pro Cujus Religione dimicatur. Non ita tamen Tuæ, quàm nostræ servare Te felicitati voluisti; eò quòd nondum omnes de Hostibus

bus Victorias, nondum triumphos omnes, nondum spes de Te mortalium absolveras. Incipiunt adhuc, sibi grandiores à Te polliceri Victorias, postquam tot tantaq; istius belli discrimina, ne dicam mortem ipsam superâsti. Mensuram habeas Fortunæ nostræ, quòd tantum ex Tuis periculis discrimen adiêramus, quantum ex salute Tua gloriæ, sumus consecuti.

Permisêre quidem superi, Gregario Tuo militi non nihil insultare manus Barbaris; gloriosiorem olim triumphum polliciti, si deinde à paucioribus, de tam superbo Hoste referretur. Potuit, potuit nobis Byston, aliquot cohortes eripere, non animos: quanquam & illos qui tunc occubuerunt, non tam cecidisse crediderim, quàm ideo gravia exuisse corpora, ut cæsorum animas Hostium, celeriùs ipsos etiam persequerentur ad inferos. Attigimus enim verò votorum summam: Spes de Te nostras, eventus ut altiùs efferret, distulerat: in Parkanensibus enim campis eò nobiliores, quò difficiliores laureas decerpsisti.

Opposuit aciem Barbarus, nuperrimo ex nôstris excubiîs successu, supra modum tumidam, quæ acceptô belli classicô, ita pertinaciter instabat, ut cum immortalibus pugnare nos Heroibus, initiô crederemus. Affuso hinc inde cruore Danubius, jam in Rubiconem abiêrat, Hostis tamen adhuc, ne quidem

eru-

erubuerat. Omnem illi frontem ademerant vulnera, toties repetita; belluarumque more, viso Sangvine implacabiliùs ſæviebat. Lapitharum, Centaurorumq; ritu, præcipitabat ſe in tela, quaſi mori quæreret, & vivere jam puderet. Implebantur arva cædibûs, littoraq; & pons ipſe, veluti ſervitutem ſuam intelligeret, majora viribûs dedignatus pondera, cæpit effugere fugientes, deducereq; ad orcum, non ad arcem. Interim Tuæ gloriæ campo vicinus Danubius, feliciter eluſas Hoſtium iras fractaſq; non Sibilis (quòd aliîs ſatìs foret ad plauſum) ſed plenîs fluctibûs explodebat. Et quanquam ingentium acervîs cadaverum gravata, indignabatur Thetis, poſtquam tamen ad ſe rediît compoſuitque iras, quas à Te pugnante didicerat, leniter allabebatur littori, quaſi oſcula telluri imprimeret, quæ Tuam ſuſtinuit gloriam, tantamq; cladem Orientis. Quia verò fædi illi Turcarum manes, qui undarum ſupercilium mole ſua extulerant, ad inferos feſtinabant, & interim ſinè lege, hauſto cruore fluctus ebrii cadebant, non tam fluebat, quàm toto lacrymabatur flumine Danubius, quòd altiùs non poſſet ſurgere, & in arva illa excurrere, quibus tantùm ſudoris affuderas præliando. In Tagum, credo, Gangemq; abiîſſet illud Auſtriæ Ungariæq; vadum, ſi omnes gemmas, quas Heroicus Martiæ frontis ardor ſudorque

pepe-

pepererat, collegiſſet; ſed pigrum vitreumq́; elementum invidi ſolis radii prævenerunt. Puro nihilominùs ſpumarum ſuarum volumine, mutum quantumvis & animâ carens flumen, candidum ad plures Victorias calculum, aut porrigere, aut elaborare Tibi videbatur. Exutô barbarîs Civibûs Parkanô, arx ipſa muriq́; Strigonii, ipſo tantæ cladis ſpectaculô pænè corruebant. Tu verò Byſtonum terribiles illas viſu formas, quaſi ad fumoſas perennis gloriæ Tuæ Imagines feſtinabas.

Non priùs tamen Strigonium, expugnâſti, quàm corda, ſupremi Arcis Præfecti literæ, Tuo inſcriptæ nomini, palam loquuntur: quòd non modò tanquam ad Victorem, Hoſtes, ſed etiam quaſi Filii ad Patrem properâſſent.

Tu porro vel conceſsâ vultûs majeſtate, vel inſolita de Clementiſſimo Victore lætitia, interceptas venientium Populorum voces, illo præveniebas ſermone, ut ſinguli mentem ſuam à Te crederent priùs intelligi. Et quanquam expugnationem illam facilè Tibi fuit adornare. Pudebat tamen omnes, diutiùs Tibi ſua tecta defendiſſe, qui pridem omnium corda merebaris. Cùm priùs ab eis elicuiſti lacrymas, quàm dum expugnares, omnes Tuæ gloriæ volebant militare, omnes Tuas Aquilas & ſigna ſequi.

Ipſi etiam Hoſtes, à ſua feritate Clementiæ

tiæ Tuæ beneficium æstimabant, tantùmque jam profeceras, ut securiùs posses in illorum manibus, quàm alii Principes in suorum ædibus subditorum quiescere. Habebant enim ingens Barbari vel in adversa sua sorte solatium; Victoris benevolentia minuebat victi ignominiam: & cessisse ibi, quem tot laureæ decorârunt, magnum fuit vulneris quantumvis acerbissimi remedium. Cum alii Commilitones, non arcibûs modò murîsque, sed vitâ etiam exuendum Hostem svaderent, ne virus, viresque colligeret, Tu' cum Julio Cæsare, perinde de Hoste, ac de ægroto cogitabas; rudemq; medicum illum dicebas, qui contra morbos, nullam aliam novit medicinam, nisi ferrum, & ignes. Constare Barbaris etiam voluisti, Te tranquillitatem Imperii quæsivisse, non duram illorum servitutem.

Quæ ergo illa, boni Superi! redeuntis Strigoniô] pompa fuit, reportabant alii opimas de subactis Hostibus exuvias, & tantùm non ipsîs edomiti Orientis radiîs, Galeas thoracesque suos induebant, alii captorum in acie calamitate Hostium, crudelem oculis adferre voluptatem laborabant. Aliena ipsis mala cladesq; ultimæ in plausus ibant, tota pompa lacrymis gemituq; constabat, nec spectari poterat sinè dolore, triumphus ille, in quo singultus Hostium, clariùs, quàm festivæ Civium voces personabant; Hostis Victorem sequebatur

batur currum, ſagô exutus, & ſolo indutus o-diô, ac rabie immortali. Tuus ab arce illa Urbeque reditus, nullo luctûs confiniô lædebatur; ipſi Tibi Thraces, qui Te ultro ſequebantur, acclammabant. Ita omnes amore Tui indueras, ut ab intimis difficilè dignoſci poſſent. Unum illud Tuum omnibus retro ætatibus invidendum fuit ſpolium, nihil priùs de Hoſtibus præter affectus optimos retuliſſe. Diu interrogare debuimus, ut quis unum ſe ex Hoſtibus Tuis diceret; omnes ſe non magìs armîs Tuîs; quàm amore captos narrabant; iterumq́; nobis in ipſo pacis otio, acre cum Hoſtibus certamen erat, ut ſe bellô victos faterentur. Nimirum ille es Regum Clementiſſime, cuì jure belli, ipſe quoque Annibal libentiùs ceſſiſſet, quàm Scipioni, & inter multa egregia, non in ultimis decorum ſuorum numerâſſet, ſi à Te tot inſigni Victoriîs, pacem petiîſſet. Turpe enim hucuſq; credis, Perſeum & Jugurtham in Romano carcere periîſſe; procul eſſe vis à Regio pectore vaſtas & inexorabiles iras, humanæ imbecillitati multa, plura affectui, omnia condonas pænitentiæ; ſervas etiam invitos, neque illos audis, qui perire volunt. Quoties excuſabas Hoſtem? quoties illum ſuperba peſſumdediſſe conſilia, huic errorem impoſuiſſe, illi nimiam fortunam pro culpa eſſe inquiebas? quoties dicebas: ne belluas quidem generoſiores ſævire in ſupplicem. Iniquum

Tibi videbatur, quàm Fortuna dedit facultatem, in illorum consumere supplicio, quos paulò ante in amplissimo statu videras. Quare ut discat habenas pati victus Hostis, molliùs illas involvis, facisque ut effera quantumvis barbaries, frænum ipsum nescio quô Clementiæ Tuæ melle delinitum, inter delicias suas numeret, parumq; Tibi est ferrô vincere, nisi animos quoque expugnes benevolentiâ. Malè (inquis) sessor verberibûs urget equum, quem umbra virgæ in omnem partem flectit; Soli plerumq; ursi non solent, nisi sub fuste mitescere, homo verò fit fera, si crudeliùs feriatur.

Fortior est omni compede, blanda manus.

Omnes proinde Augusto aspectu recreas, superciliô terres neminem, ornat gravitatem color purpureus, sed specie verecundiæ, habitus, neque ostentat Principem, neque nos spernit. Ita frontis Majestatem sustentat modestia, ut Regem cùm privato concilies; ad hoc sumis purpuram, ut illâ ceu spongia tutelari pavidum abstergas pudorem populorum, Tuos affatus ambientium, & hæc tunc Tibi rubet augustiùs cùm pluribus ademit Tecum loquendi verecundiam. Versaris nobiscum humanissimè, & magnitudinis servitutem existimas, non posse quandoq; fieri minorem. Toto ergo illo, quod Victore passu consecrabas terrarum spatio, nemo erat ex orthodoxis qui

Te in

Te in omnes casus non vellet sequi nisi Tu omnes tam procul à periculis esse, quàm ipse prope eras, maluisses. Omnes, finibûs excedentem cùm jam oculîs non possent attingere, votîs & pronîs affectibûs sequebantur. Et Ungarræ ibi vineæ florebant uberiùs, ubi diutiùs desudâsti. Si Te Pannoniæ, quantumvis gelidissima intulisset anni portio, Tui nihilominùs amore victa, floruisset, vernâssent prata, risisset ubique tellus vere novo. Sidus enim quoddam insoliti temporis auspex credebaris: & quantumvis inflari sæpiùs horrentem jubebas tubam, graviùsq; pulsari tympana, Populus suas aures velut ad Cytharam arrigebat. Profectò in tale posteris exemplum ibis, ut Te imitari velint omnes, possint pauci.

Quæ verò illa SERENISSIMÆ CONJUGIS Tuæ, in nostram felicitatem conspiratio? Tu armîs Lunam Turcicam feris, illa domi Cælum precibûs fatigabat, DEO dicatas ædes adibat, Sacra mysteria sæpiùs usurpabat, incedebat veste lugubri, quasi Hostibus Tuis parentaret, in solitudinem Aula transiêrat aut templum. Tu Hostes persequebaris, illa pompas, ludos, otia, Tu sudorem pro Patria, Tu Sangvinem fundebas, illa pro Te lacrymas, Tu de subjectis Thracibus & orbe barbaro, illa de mundo muliebri deliciis triumphabat. Nihil erat in triclinio, nihil in vestitu, nihil in palatio ad pompam, nihil ad ostentationem,

omnia tamen ad prodigium. Ornabatur Regia non tam aulæîs, quàm aureis moribûs Aulicorum, implebantur atria non diffluentibûs cerîs, sed solidis virtutum imaginibûs, & spectantis Regni admiratione: Ne parietibus quidem ipsis, plùs solito superbire, ornariq; licuit modestissimæ Principis in conspectu. Procul aberant frequentiora, longioraque Procerum alloquia; à quibus perinde, atq; à se Regem desiderari sentiebat. Nihil admittebat solatii, nihil pietatis præteribat, quasi unâ Tecum in discrimine, non in palatio versaretur, quotidiesque fortunæ suæ compellabatur titulîs, plùs ruboris vidimus in vultu; quàm olim in Purpura. Geminâsti ergo, uno bello prodigia REX POLONIARUM TER MAXIME, & Rempublicam securiorem, & simul aulam tot titulîs Sanctiorem. Nisi tanta exempla Reipublicæ orthodoxæ, ævoque nostro servâssent superi, habuisset Numa quòd à serenissimæ Principis nostræ Aula disceret, Trajanus quòd imitaretur vidisset, quòd miraretur, invenisset Augustus. Prioribus enim majorum ætatibus, in aulæ lubrico solidæ virtutis exprimere vestigium vix licebat. Etiam prona in ruinam virtus, ad profundam Majestatis Venerationem pertinere censebatur. Procul ædibûs exulabat illis, qui cadere antè solium, vel ipsîs moribûs nesciebat. Principum favoribûs tollebantur, quorum probitas humiliùs se se coronatis Au-

læ vi-

læ vitiis inclinavit. Nihil in illorum palatiis illustre, præter aurum, nihil nobile præter gemmas; nihil candidum præter ebur, nihil præter Purpuram vidimus verecundum; lectîs sternebatur lapidibûs pavimentum, ut ipsa quoque hospitum vestigia calcarent vetustatem, quæ superaret. Vivæ Principum Imagines, ceu forent ex Ægyptio marmore, magìs placere videbantur, quò plures maculas habuissent. Laborabant parietes, non tam hostilibûs armîs, quàm invitîs Provinciarum vectigalibûs, & catenîs pedicîsque graves populorum. Post fædatos Sangvine civili campos, post maria fraternîs aucta cædibûs, post attritos, exilió subditorum scopulos, post infecta criminibûs atria, nullus unquam in aula præter Purpuram erubuit. Fumosis scelestorum imaginibus, permista heroum simulacra horrebant præ foribus. Faciliore aure, ductorum ex Africa Leonum rugitus, sylvestriumq; mugitus ferarum, quàm supplices excipiebantur lacrymæ miserorum: à verbis fides, fronte pudor, legibus honor & veneratio, ab Aula probitas exulabat. Invidere quodammodo ea spectacula superis mortales videbantur, ut virtus in terris incederet trabeata; Serenissima nostra Princeps, ita illam totâ belli tempestate, ad suam Regiam, ita ad Purpuram admittebat, ut se illâ exuerit, Tu in Austria Ungariaque de Turcarum ferocia, illa in Polonia, de omnium sæculorum fa-

ſtu triumphabat. Partim admirationis habuiſſet tanta pietas, Religioque tanta, inter Aras, inter pallentes illos & perpetuîs confectos vigiliîs, hoc eſt magna ſui parte jam ſepultos Aſcetas, aut inter exutos corporibûs ſpiritus: magnam ſibi enim partem æmulatio, magnam imitationis ardor vendicaret; poſtquam verò in aulæ lubrico ſinè exemplo, ſinè æmulo, ſinè hortatore, dicam ampliùs, tunc cùm Tu Regum Inviẞiſſime, de omnium Principum admiratione triumphabas, illa ſe humilibus vulgi precibus, illa Templis illa ſupplicibus ubiq; populis inferebat; hoc omnium ætatum memoriam, hoc omnium gentium plauſus, lingvas Rhetorum calamoſq; hoc omnium vincit fidem populorum. Jam alii pauciores Sereniſſimæ Principi virtutes optabant, eò quòd ita pro Victoriis referret Cœlo gratias, quaſi Tuæ fortitudinis oblita videretur. Singuli tamen illam laudavimus, quòd non minùs pro Imperii Regniq; ſecuritate, quàm pro Tua ſalute ſuperos fatigaret.

Sed non hìc ſtabit Panegyris Tua, quia non hic belli gloria, non hìc virtus Tua, non hìc ſtetit noſtra felicitas. Ubi Anaxagoras Solem pretioſos inter lapides numerare cæpit, Tu ne non omnem lapidem, ad immortalis gloriæ Tuæ Capitolium moviſſe adhuc crederereris, ubiq; locô ſuô movere Orientem voluiſti. Servatâ Viennâ, pulſo Hoſte, tot tantiſq; redditîs

DEO

DEO Templîs, & ubi Lunæ ſtabant poſitîs crucibûs, ſuperandum fuit Strigonium, capto Strigoniô, mutatô cædibûs Danubiô, pænè ereptîs barbaræ militiæ Ducibûs, expugnanda fuit Stephanopolis, tantâ celeritate, ut priùs captam ſe videret, quàm Victorem. Neque illam Hoſtibus felicitatem relinquere voluiſti, ut poſſent gloriari, diu ſudâſſe Polonorum militem ut vinceret. Sufficiant ergo aliis Palmæ Laurique Victoribus, bellica Tua opera tanta ſunt Regum Fortunatiſſime, ut integrîs Urbibûs, ne dicam Orbe toto debeant coronari.

Venis in partem iſtius gloriæ JACOBE PRINCEPS SERENISSIME, Tibi Coronatum expugnatæ Stephanopolis nomen, tacitô augurió certas Coronas pollicetur, quas exemplô Inviċtiſſimi Parentis, priùs mereri maluiſti, quàm habere. Nam cui æquiùs Regum diademata, cui ſceptra dexteræ incumbant ſecuriùs, quàm Tuæ? Tu primo aſſultu Stephanopolim, Tu tot annîs ſub Sacrilega fædi Machometis Superſtitione laborantes Aras, labenteſque vindicâſti à Sepulchro, ad quòd non tam injuriîs temporum, quàm impiorum longâ indignatione Sacrorum, properabant.

Dubitabant, ævo ſcelerum fracti parietes, quam ab arte habuerant, diutiùs vitam producere, niſi illam triumphali Tuâ ſtitiſſes dexterâ JACOBE SERENISSIME. Non unum Heroico Tuo vultu moviſti lapidem, ut ere-

ptæ olim ſuperis ædes, altiùs caput attollerent, quæ ſtare jam formidabant. Laborabit quidem res iſta, inſolitæ novitatis admiratione apud ætatem poſthumam, dicam tamen, quòd ipſa pænè, muta licèt, tot locîs reſtitutorum ſaxa templorum, eloquuntur. Nempe, quòd niſi jam gravî ferrô calceque, & ſuperimpoſitâ mole ſtarent, in immortale bellici rudimenti Tui primæq; Victoriæ teſtimonium, ultro ſe montium viſceribus eriperent marmora, & ad æternam Nomini Tuo molem feſtinarent, nullumq; ſentirent pondus niſi à Tuæ Virtutis pretio. Scilicet ipſas illas graves duraſq; rupes, quibus ſacræ nitebantur ædes, innocentiæ Tuæ viciſti teneritudine. Non diu Phydiæ laborandum erit, ut triumphales Tibi Victori ponat ſtatuas; quia fortiſſimo humaniſſimi Principis exemplô, etiam marmora ad perpetuam tanti beneficii erudiuntur memoriam. Quot lapides, ædes illas à caſu erigent, tot Lydios habebis victoriæ immortalis. Quoties ſub mole operis mutæ ſudabunt rupes, toties in lacrymas diffluent, quòd lingvam non habeant, quâ gratiam referre poſſint, quòd ex barbaris, feceris Orthodoxas. Oblivifcentur plebeiæ originis ſuæ lapides, diſcentq; ab incolis quos induxiſti, Sereniſſimi Patris, Tuiq; Nominis reverentiam. Rebelles olim humeros veſtræ impendent gloriæ, imò ipſam ſuperbam quondam frontem, veſtris incidi elogiis patientur.

Jam

Jam enim, & ipſi muti quantumvis & ſenſu carentes parietes, ſuam quodam modô intelligere fortunam, jam antiquum exuere ſitum, jam mæſtam frontem ponere, jam ſentire Victorem, jam lætari, jam barbaram averſari ſolitudinem, ſcireq; jam videntur, quòd Domino ſerviant non Tyranno. Palam eſt Princeps Sereniſſime, quid olim nobis, quid Civibus Tuis pollicearis, ſi Urbes alienas peregrinaq; tecta tot gratiîs cumulâſti.

A Marte Lechico progenitus, probâſti indolem maximis parem bellis: tam diu in Caſtris verſatus, nihil hauſiſti à militari licentia, niſi audaciam præliandi: tubarum clangore, ac ſonitu tympanorum, ad omnia obſurduiſti blandimenta voluptatum; à grandioribus belli machinis, perpetuum eſſe tormentum Hoſtibus didiciſti; ab armorum ſplendore, Polonæ illuſtrandæ gloriæ ſtudiô incenſus es; ex alienæ verò mortis theatro, curam extuliſti gloriæ immortalis. Juventus in Te ſuum amiſit nomen, quia in Heroicam indolem, velut in mare virtutum, ætates omnes influxerunt; morum gravitas Adoleſcentem & decorabat ſimul, & negabat. Sola ferè Juvenem eſſe teſtabatur modeſtia; quæ & ſi ætates omnes exornet, vocari tamen jure poteſt virtus juvenum, & juventa virtutum.

Cùm Te Regum Invictiſſime majores curæ interciperent, ſumma erat Heroum felicitas

Prin-

à Principis Filii Tui ore pendere, & in viva Imagine prototypum admirari. Illius verò unicum fuit otium, totam belli seriem, casus eventusq; omnes, suis tabulis monumentisq; consignare. Ita fiebat ut invictus Parens in campo, Filius etiam in pagina de Hostibus triumpharet, ipsoq; illo calamo omnium Seculorum scriptores, in suæ dexteræ initiaret elogia.

Obrepunt lauro cupressi, bustis trophæa distingvuntur. Nullus adhuc exstitit, cujus prælia nobilium funerum non læderentur confinió.

Ter Centum Fabios abstulit una dies.

Unam Pauli Æmilii Victoriam, geminæ prolis mors funestavit: Natu majorem in ipso triumphi sinu amisit, minorem extulit triduô post triumphum. Africanus, partam bellô gloriam tristi exiliô & funere inumbravit. Sed vestra Heroës Maximi busta, quot quot in illo procubuistis bello, in perennis memoriæ tabulas, in trophæa, in immortalis Gloriæ Aras abiêrunt. Feralis non obruit Te lapis, sed operuit, Palatine Pomeraniæ Illustrissime Denhoffe: non è vivis, sed è terris abiîsti: more magni sideris, non extinctus es, sed occidisti; Omnium Heroum decora collegeras, quò jam in acie progredereris non habebas. Timebas Tibi perire vitam, nisi illam superis & Religioni reddidisses. Neque frustra Tuum divisit à

sit à corpore caput manus barbara; timuit enim, ne post mortem etiam pugnares, si Te integrum invenisses. Invicte semper Modrzejewski, maximi Hostis ense cecidisti: minori telô moveri è terris non poteras. Recisum Tibi caput, ut occumberes; integer nunquam cecidisses. Per partes Te mors aggressa, totum simul aggredi non audebat. Felix Turcia, si ante prælium simile caput habuisset.

Tu verò quem imprimis dicere gestiebam Illustrissime Campi Ductor, præibis in memoria seculorum, vel eò ipso, nomine major omnibûs, quòd non in prælio, sed in ipso Victoriæ theatro occubueris. Nimirum postquam omnia egisti pro Patria, ipsam etiam, quæ tam atroci bello superérat, agere animam voluisti: ne quid esset, quòd non egeris. Nemo unquam plùs Patriæ dedit, quàm qui sibi nihil reliquit.

Parcite volanti calamo reliqui Heroum Manes, majoribus ævi tabulis vestra servantur nomina. Ego dum tanta magìs prætervolo, quàm delibo, elogia, vos studeo imitari, qui nihil in hoc bello perinde, atque moram, estis dedignati.

Sed quò me egistis immortales Heroum manes? ne latum quidem unguem ab illius decet elogiis discedere Principis, qui etiam extra Regnum abiêrat, ut inter arma Hostium publicam Orbi securitatem inveniret, Quanquam Tua quoq; laus ista Regum Fortunatissime

ſime, quòd tantò bellò, tamque atroci, tam paucos amiſeris. Jactent igitur ſuos Epaminondas Thebæ, oſtentet Xerxes Cyroſque Perſia, Lacedæmonii Lyſandros celebrent, Athenæ Themiſtoclem efferant, Pæni Annibalem, Alexandrum tollant Macedones, memoret Roma Cæſares, miretur Scipiones, ſuſpiciat Auguſtos, nos JOANNEM III. omnibus præferemus. Jactent alii ſubactos Reges, deletos exercitus, infecta cædibûs maria, terras humano natantes in ſangvine, nos prope trecenta Turcarum millia Te coram fugientia narrabimus. Proferant opima ſpolia cæteri; fuſis detracta Hoſtibus; nos magni Vezyri tentorium, magnæ urbis capax explicabimus. Numerent illi quot intra annum bella profligârint, Nos Tibi horam ſatìs eſſe dicemus ad Victoriam. Glorientur alii triumphîs; Tu Victoriîs: dent aliis ambitioſa nomina Regnorum calamitates: illum infelix Aſia reddat Aſiaticum, hunc domita Carthago faciat Africanum; Te ſervata Auſtria AUSTRIACUM LIBERATOREM celebrabit. Alios triumphatæ Gentes fecerint Dacicos, Geticos, Germanicos, Te ſubactus Oriens, ſi non inveniſſet, feciſſet, Sereniſſimum. Cæſar Pompeium, Tu magnum Vezyrum vidiſti fugientem.

Ut Fortuna levis, magi quoque terga videret.

Ita nimirum felicitatem noſtram moderaris, ut antiqua mala, quantumvis graviſſima, leviora jam nobis hodie videantur. Habemus

Te

Te Rege gratiam pertinacissimis etiam Hostibus, qui suîs cladibûs, tam altè Tuum nostrumq; nomen extulerunt, ipsoq; cruore suo, immortalitati Tuæ velificant. Superbire calamitatibûs nostris incipimus non irasci, quas aureîs Tuîs Consiliîs facis pretiosas. Æstimamus extrema Fortunarum nostrarum pericula, eo nomine, quòd ingenium Tuum prodant admirationi sæculorum. Funestas licèt, sereno tamen vultu excipimus imminentium bellorum minas, quòd hostes ipsos Tuæ videmus gloriæ militare. Nullas Mæoticæ paludis, nullas sævæ Propontidis pavemus procellas, quòd mentis Tuæ illustrent altitudinem, ipsoq; decumano suo fluctu, attollant sideribus. Tantam scilicet fama Tua, Hostibus nostris, nobisq; fecit reverentiam, ut vel gravissima Fortunæ nostræ amemus odia, quòd Tuorum sint materia trophæorum. Sed jam & modestiæ Tuæ, & tempori morem gero, Principum Emeritissime. Jam minima nostrorum clade, Hostium damnô infinitô abstulisti, tot pericula, quæ non armîs, sed vel ipsa cogitatione tentare, temerarium nobis videbatur. Vires animumq; ultra mortalium admirationem sortitus, ubi spes omnium desinunt, inde immortalium Operum Tuorum emanant prodigia. Vicisti virtutibûs Tuîs invidiam, factîs admirationem superâsti. Abstergit Statius Lacrymas, jamq; interrogare pudet: Quisnam impacata consangvinitate ligavit.

Fortunam invidiamq; DEUS --

Fuerit proinde aliorum felicitati satìs, amari à Civibus; Fortunæ Tuæ, Barbari etiam benè precantur. Audivimus nuper, Getas Turcarum cladibus, quas patrâsti, insultantes, audivimus Hostium Arcus langvescere, nolleq; pharetram parere Domino, quoties in Tuas acies, sua voluit tela jaculari. Diu priùs debet cogi furor, diu manus, diu ferrum, ut erumpat eò, ubi Te stare intellexit. Insolita hæc sunt, & non nisi Tua, Regum Fortunatissime, Elogia, supplicem tamen venturæ posteritati tendo hîc calamum, ut plura extra paginam suspiciat, quàm legat in folio, tantæ magnitudinis incapace. Nimirum ut imago illa magni Alexandri, fulmen manu tenens, adeò suâ tabulâ superior erat, ut eminere digiti, & manus extra tabulam ardere videretur, ita, secutura posteritas, JOANNEM III. Optimi Principis implevisse noverit imaginem; ut ubi laus erit summa, ibi grandius meritum supra paginæ fastigium cogitet eminere. Collige triumphalem Poloni Martis sudorem Gloria, collige cæsorum sangvinem Hostium, Fulminati Orientis affunde radios, & terminales Regni Columnas inscribe.

JOANNES TERTIUS
ANTIQUÆ FORTITUDINIS PRODIGIUM
EXEMPLUM NOVÆ

Quàm Magnus sit? metire CLYPEO quô tre-

cen-

EUROPA DEFENSA

Seu

PANEGYRICUS

Eidem

IOANNI TERTIO

POLONIARUM

REGI


Poſt Expeditionem

Moldavicam, Valachicam & Budziacenſem

Dicatus.

Ejuſdem Authoris.





REX POLONIARUM INVICTISSIME.

HActenus urbes alii, alii divites portus, omnes, præter ereptas Provincias, etiam Europæ ſpolia oppugnabant, Tu eò vires, eò Poloniæ arma, eò Te ipſum vertiſti, ubi fortior hoſtis, ubi major commeatuum difficultas, ubi inſidiarum frequentior opportunitas, ubi periculi plurimùm, prædæ minimùm, otii nihil erat. Eò enim victorem duxiſti exercitum, quò rara ætas præceſſit exemplô, ſequens nulla. Viciſti ipſi etiam cælo minantes ſcopulos, alpes Moldavicas, Geticas ſubegiſti, irremeabile mortalibus, Mæotis, Euxiniq; Neptuni limen adiviſti, barbaris quoq; formidandas feris, alitibusve rupes ſuperâſti, furialem inſanæ Propontidis, unus ſuſtinuiſti tempeſtatem; latè diffuſâ nominis Tui famâ terroreq; exciviſti populos, quos ſuperbus O-

riens, non tam in exuſta infauſtis ſideribûs plaga, aut in ultima ſolis averſi luce, quàm in ipſis Orci faucibus, in ſupremum generis humani ſervabat excidium. Occurrebant ubiq; præruptæ, acutæq; rupes, pendebant exeſa ævô & quaſi uno hauſtu integros devoratura exercitus antra, ſuæ Hæmus Geticus, apertîs anhelus ripîs, foſsîsq; tam nobili prædæ inhiabat. Budziacenſes Alpes jam grande quid, diductîs faucibûs procul etiam minabantur: jam non tam ſua mole, quàm tuæ fortitudinis admiratione defixæ, & altæ oblitæ ſuperbiæ, in arcus triumphales ſua culmina victoriæ erigebant, ſed altius erat majeſtatis Tuæ faſtigium, quô, velut Atlante cælum totius Europæ ſecuritas nitebatur. Alta Valachiæ, Moldaviæq; flumina, ſive avara tellus, magnitudinis Tuæ feſſa pōdere, ſive Erebus, tot barbarorum animabûs auctus, pœnè omnia exhauſerat; ne haberes quo ingentem illam publicæ felicitatis ſitim relevares.

At enim ſatìs Tibi erat Regiæ frontis ſudor, quem triumphalis fundebat galea. Saxea barbariei viſcera, ita obduruerant, ita omnes fibras ferri tui metus occupavit tenuitq;, ut ne fontibus quidem liceret prorumpere. Omnia elementa expaverunt, ſenſeruntq; & tantùm non intellexerunt victorem ſanguine hoſtium, non communibûs undîs lacrymabant littora, & erubeſcendum audaciæ ſcelus concolori lymphâ eluebant. Irata victoriis tuis Orientis

aſtra.

centa fregit Turcarum millia, ruentem VI-
ENNAM ſuſtinuit,
PROTEXIT ORBEM.
Illius Elogiis
Cælum in paginam, Terra in theatrum,
aër in voces,
Soles, Aſtra, Fulmina, in feſtivos ignes, ma-
ria, flumina, tot animarum aucta ſpo-
liis, in ſepiam.
In Arcus triumphales abeat Empyreum
neceſſe eſt:
ORTHODOXÆ MILITIÆ IMPERATORI
parum eſt
Si non totus Orbis in plauſus eat.
SUSCEPIT POLONIARUM REGNUM
UT POSTERIS MAJUS REDDERET.
Auſtriam, Moraviam, jam pænè captas
liberavit.
Invitam eripuit Hoſtibus Ungariam
TIMORE VALACHIAM, MOLDAVIAM:
ARMIS THRACIAM, SCYTHIAM
PANNONIAM;
Ukrainam benevolentiâ:
Orbem vicit admiratione.
Et hæc ſe feciſſe non meminit
niſi diceremus.
SERVOS DEDIGNATUS
LIBERÆ GENTI præfuit Sapienter ut CA-
THOLICISSIMUS:
bellavit fortiter ut CHRISTIANISSIMUS:

ini-

iniquas armorum causas vitavit ut Augustissimus
de Turcis Getisque triumphavit, ut nemo.
Hac unâ in nos peccavit tarditate:
quòd non priùs Regni Solio successerit:
Jmò Patriam quoque peccare cògit:
nam quò uberiùs illo Regnante gaudebit,
eò fortiùs lenta superûm accusabit beneficia
Et qui gratulari illum nobis debebant
Posteri!
invidebunt.
Heu! quot Sæculorum morâ
Quot annorum invidiâ
Insolita constat gratia!
Vives quidem Regum Maxime
in Auro Phydiæ, in Gemmis Lysippi, in
Argento Praxitelis,
non unius Apellis tabulas animabis,
spirabis in animis,
desiderari tamen nunquam desines.
Omnibus locò excusationis erit Victoribus
quòd præcesseris
Quibusvis umbram triumphis faciet
Oriens à Te triumphatus.
Orthodoxis Principibus
durum imposuisti onus Te sequendi
qui à Te ipso didicisti:
Posse extingvi Orientem.
Si Danubius Istulæ Sacro fædere societur
Jam non erit dubium:
Te ne LECHIA suô sceptrô,
an tu

an Tu magis Patriam Tuô ferrô,
Exornaveris.
ibitque in prodigia Sæculorum:
Illa Te fecisse
Quæ nemo etiam à Superis
Auderet flagitare,
Nisi egisses.
Nemo fieri posse credidisset.
Solem à Thyeste aversum fingere Pòëtæ
debuerunt,
NOS LUNAS TURCICAS
Te coram vidimus fugientes.
Si priùs accepisses Regni Diadema,
non haberes hodie quem vinceres,
jam quem times, præter Te, habes neminem
Faciliùs est, orbi bellum inferre, quàm gloriam:
TIBI ex vulneribus Hostium
plùs gloriæ, quàm Sangvinis emanavit.
HORÆ TIBI DABANT VICTORIAS
Quas aliis Sæcula non dederunt.
Quoties Tua bella legent Posteri,
faciliùs credent,
Diutiùs Te stetisse in acie
quàm in vitâ;
HOC EST
Diutiùs vicisse quàm vixisse.
Maximos prioris ævi Bellatores
redivivos nobis facis,
Ut se minores Te fateantur

Poſtquàm tamen omnes exceſſiſti:
minùs adhuc feceras
Niſi nobis Principes Filios
TUI ſimillimos procreâſſes,
HOC EST
Maximis pares Sceptris.
Quòdſi verò dicent aliquando Poſteri:
JOANNES TERTIUS
Orbis terrarum cùm par eſſet Imperio,
uni REGNO POLONIÆ præfuit,
Reſpondebit immortalitas:
GENERI HUMANO
Prodeſſe maluit
Quàm imperare.



aſtra, & ſoles barbariæ inhumani, ita campos omnes conſumpſerant, ut ne herbam quidem reſervârint quàm victori populo porrigerent; ſed invictus miles Tuus, ipsîs vitæ diſcriminibûs, ipsîs periculîs, continuisq; præliîs, fortiùs ad immortalem gloriam alebatur, & ab ipſo ſumebat vires, animumq; ferro. Per tot victorias, per tot mortes & funera, ad hoſtem properabas, quaſi, ut Lunam ex cælo barbaro deturbares, omnia Tibi priùs ſuperanda forent elementa, quæ in Te ita Otthomanus furor armaverat, ut palam fuerit, quòd à Tuo diſcrimine, Regum fortiſſime, totius Europæ penderet ſalus aut exitium. Si licuiſſet Patriæ per tot diſcrimina, quibus ſecura Majeſtate inſultabas, ad Te perrumpere, & triumphali galeâ armatas aures Tuas mereri, natantes in lacrymis voces illius inter tubarum clangores, & ferales Martis lituos exaudiſſes. Quò *Regum fortiſſime*? quò vita Europæ, quò ruis exercituum anima? quas plagas ingrederis Regnorum ſalus? Fons publicæ ſecuritatis ad quæ littora delaberis? Exuſtæ radicitùs herbæ, quæ Tibi ſerta nectent victor Magnanime? ad famam Tui nominis, barbara tellus emortua, quos feſſo militi Polono feret fructus? effugête altîs littoribûs flumina; quô pulverem Martium, quô cruorem Geticum fonte ablues? Sub cujus arboris umbra triumphale caput reclinabis, ſi quoq; folia arborum, avara Thraciæ

 ſide,

sidera consumpserunt? Metire solis ardores, vix gregario militi perferendos, immensumq; iter expende, quòd ad gloriam immortalem suscepisti; reputa multiplicatas ubiq; ex arte insidias, hostem Parthum, germanum Tartari, quem sistere difficiliùs est, quàm vincere. Nobilem Polonæ militiæ florem, in Bessarabiæ ages deserta? priùs cùm extremo laborantis naturæ defectu, cum exhaustis littoribus, cùm sterilibus campis, cum scopulis, cum monstris, ferisq; quàm hominibus pugnaturus. Et hoc demum est *Regum fortissime*, omnium periculô fortem esse, omnium securum discriminibûs. O mortalî majorem genium! ò non humanam animi magnitudinem! per tot rerum discrimina, per tot terrarum spatia, imperii securitatem quærere, bellorum fortunæ imperare, insultare casibus, sitire prælia, focos, Aras, liberos, Patriam, Fortunas à tergo reliquisse, ut & periculis Tuis, & dolore hostium, Europæ triumphos pareres. Quis unquam Ducum tot discrimina, non dico sinè ingentibus impensis, sed sinè regnorum jactura, sinè populorum exitio superavit, quot Tu tanta felicitate emensus, ut palàm sit omnibus, nil in Te belli casibus, nihil fortunæ, nihil licere periculis. Crede calamo, vel si non meretur, crede Famæ publicæ Regum fortissime, tot operum exempla, vix singulæ ætates proferre consveverunt, quot Tu nobis exhibes quotidie, imò fortitu-

dinis

dinis, fortunæq; tantæ, nulla, nisi in Pòétarum fastis vestigia legimus. Annibalis Cannas in Austria, ad Strygonium Augusti Actium, Ciliciam Alexandri in Ungaria, in Valachia; Moldaviaque, Pharsaliam Cæsaris superâsti, hâc verò in Getas, (dicam in hostes generis humani) expeditione Tua, omnium exempla Heroum, omnium bellorum pericula, omnium temporum fidē excessisti. Alios Duces non tantùm provocabat hostis, sed insultabat etiam provocatis; nuper ut campum barbarus declinaret & aciem, vix humano adeundis pede, pendebat à jugis, satìs sibi ad gloriam cogitans, quòd te auderet spectare, sed obversante ubiq; oculis metu, male viderat, quòd non homines, virosq; tantùm, sed aquilas quoq; sub triumphalibus signis Tuis numeraveris, quæ volucrem fugientium Parthorum tenere possent victoriam. An, ut coram Te lapsu graviore rueret ingens barbarus, in alto castra sua metari debuit? Nimirum ipsam etiam dedignabaris victoriam Rex Fortissime, si facilior occurrisset. Totîs quidem se montibûs tueri, à Tua manu voluerunt Titanes Thraciæ, sed in Jovem Lechicum inciderunt, præruptas illi semper, & vel in tumulum suum opertas, vel in præcipitium pronas Valachiæ Moldaviæq; Alpes occupabant, ut loci saltem beneficiô, supra Te se efferrent: Tu apertas semper valles, in quibus nihil præter animi Tui magnitudinem eminebat, exer-

situi Tuo deligebas; illud terrarum spatium, etiam inter Martios furores amabas, quod accedentibus facilius, hoc est quod Regiæ Tuæ clementiæ aptius videbatur. Etiam Tentorium Tuum, in quo tot victoriarum Parens animus habitabat, in tumido aut arduo clivo poni voluisti, ut ibi quoq; de montium superbia triumphares, ubi alius non erat hostis. Minor ergo semper fuit, vel montium, quibus nitebatur fastigiîs auctus Biston; palàm enim erat, quantùm de sua dubitaret fortuna, quam tot columinibûs fulciebat. Ipsâ illâ sublimî fugâ, qua se efferebat sub sidera, docebat, quòd non videret in terris locum, in quo Tuæ fulmina dexteræ vitare posset, Regum fortissime ac fortunatissime. Vicinior quidem ille tum erraticis sideribus videbatur; sed Tu propior fuisti Numini, cujus ille jam manum, jam oculos, effugere poterat, & malebat triumphis Tuis locum dare, quàm pugnæ: Longiorem daturus gloriæ Tuæ manum, eò, quòd non simul totus periisset. Dabis veniam Regum Clementissime, quòd in primo Panegyris Tuæ limine, tot ponamus discrimina, quæ post Viennam, Austriam, Pannoniam, Podoliam, Ukrainam, Valachiam, Moldaviam, Thraciam, victore ferro jam territas, jam toties subjectas, jam vindicatas duxisti in triumpho. Palàm fiat orbi, quantùm ab illis distes victoribus, qui non minùs exuvias numerare possunt quàm pericula. Hinc ereptas

alii

alii captîs urbibûs arcas, Odrysîs graves opibûs ostentent populis & forum in Martis theatro aperiant; miles Tuus nihil ex supremo hoc bello retulit, præter arcus Threjicios, præter fracta pectore scuta, præter inanes pharetras, præter cicatrices, præter gloriam immortalem. Et hoc demum Regium, simul de pertinacissimo humani generis hoste, luxu, simul de Parthis, Gelonisq; triumphare, quos in orbis excidium sæva Propontis non tam peperit, quàm exspuit, barbarus furor educavit, Regnorum funera, cladesq; tamdiu aluerunt.

Ne verò Regum sapientissime, aut temerè suscepisse tam atrox bellū, aut inconsulto Marte, tanta subiîsse pericula, (quantîs majora, nec nostra unquam vidit, nec Patrum superior expavit ætas) aut sinè ordine vicisse, aut casu triumphâsse videaris, rei à te gestæ seriem aggredior. Utinam tamen ego ea felicitate narrationem effundam in paginam, qua Tu nuper tot Thracum millia fudisti in acie; utinam tantùm mihi fidei, Tibi verò amoris conciliem, quantùm tu aspersisti terroris Orienti: utinam tantùm habeat virium volumen hoc, ad immortalem operum Tuorum memoriam retinendam, quantùm Tu in Valachiæ campis Getici fregisti roboris, utinam Flos ille Tauricanæ militiæ, quem in confiniis Podoliæ Victore ferro messuisti, totus in sermone meo eluceat, satìs ad invidiam habebit

 splen-

ſplendoris oratio, ſi omnes illos belli Duces Murzasq; hoc eſt ſi omnia illa Getici Martis lumina, quæ exſtinxiſti complectatur, ſatis colliget ad immortalitatem vigoris folium hoc, ſi omnes illas, quas è barbaris corporibus exegiſti, ſpirabit animas, emeritum aget triumphum pagina, ſi omnia illa ſuſtinebit pericula, quibus tamdiu integro exercitu inſultâſti Rex fortiſſime.

Parce ſemel Tuis, qui hoſtibus toties dediſti veniam Regum Clementiſſime, difficillimam hanc in Parthos Beſſosq; expeditionem Tuam non laudabimus, nam par elogium non invenimus, ſed mirabimur tantùm, ſi ereptas urbes, ſi everſas Provincias, ſi occupatos portus expugnâſſes, materiam Orationibus dediſſes, ut in laudes Tuas alii pleno flumine excurrerent, alii calamîs evolarent, ſed quia Te non infuſus Patriæ finibus hoſtis, non abacti à prædonibus Getis, populi, non exportatæ in Tauricam opes, non everſæ urbes, non hoſtis armîs, ſpoliîsq; dives, non Regni periculum, à quo tam longè abfuiſti, quàm ab hoſtibus; verùm Te Europæ luctantis diſcrimen & partim Budæ, tot impensîs oppugnatæ pertinacia, partim fama Imperii, partim dubia, niſi hoſtem diviſiſſes, colligatarum gentium alea, extra fines Patriæ, in Scythiæ deſerta, à nobis egit, prodigii enim verò hæc materia eſt, non elogii! Iturus in bellum vel Africanus, vel

Mace-

Macedo, jam optima gentium spolia, jam infimas vires hostium, jam iter facile, jam fortes insidias, jam amicos proditores, castrorum Urbiumq; jam breve iter & facile jam pronaplanaq; omnia proponebat, ut militem suum è sinu Patriæ, alium educeret, extraheret alium, Tu Regum fortissime, ne homines imitari videreris, non aliter, quàm si priùs & de parato triumpho, & de certo militiæ Tuæ apparatu, ac servato exercitu, arcanum cum superis consilium habuisses, inverso retroactæ antiquitatis ordine, ut commilitones Tuos ad arma Socialia excitares, cum illo hoste rem tibi fore dicebas, cui nihil eripi posset præter vitam, qui mortem in bello, inter præmia victoriæ numeraret, qui fortiùs suos arcus quàm clavam Herculis retineret, ad quem discrimina mille, per stratos cadaveribûs populorum non frugibûs campos, per manes Civium & funera, per ingentia exercituum busta, per Ducum im̃anes tumulos, per aridas inanium littorum rupes, per exhausta flumina, quorum ne in literis quidem vestigia legimus, per attritos infamî exiliô scopulos, per lividas humano cruore Valachiæ Maldaviæq; Alpes, ne dicam humano sanguine eluctandum. Quis tamen ille fuit Poloni militis, cum in bellum hoc scriberetur apparatus? quis ardor? quæ tantæ gloriæ sitis? quæ auguria? quæ lætitia? quasi non in scythiã, sed ad Capitolium properaret

raret. Ipse illæ tot jam victoriarum, testes belluæ, Cameli, Equiq; non ita tunc arma viros & imminentis belli nervum? quàm triumphalis cujusdam pompæ apparatum & paratas Thracibus mortes erectis portare cervicibûs & solitò lætiore fronte portendere clades hostium, ac frequentiore hinnitu, victoriam nobis nuntiare videbantur. Nemo proinde jam de suo periculo, nemo de arduis viarum, de annonæ difficultatibus nemo, omnes à Tuo nutu pendere, à quo salus Europæ, à quo tot populorum fortuna pendebat aut periculum. Omnes de avertendis à Buda suppetiis, omnes de avertendo orientis consilio, omnes de prælio, de sanguine, de morte hostium, omnes de gloria im̃ortali, nemo de præda cogitare, omnes inter suprema triumphi spolia, aperta pericula vulneraq; sua, imò ipsas etiam mortes computare: omnes in Tua fortuna salutem, omnes in suo ferro, belli nervum gazasq; ponere. Ibant centuriatæ legiones, ibat Triumphale hastatorum agmen, imò exultantibus Aquilis provolabat, quò tot præliorum Duce, tot victoriarũ Auctore præibas exemplô. Nemini partæ tot præliis gloriæ satietas occurrebat, omnes ad tubam, omnes ad galeam, ad imperatoriam clavam, omnes ad clypeum tuum tot triumphorum imaginibûs insignem festinare. Nemo Penates, nemo aras Patriæ, nemo focos, nemo Parentes, nemo liberos, nemo fortunas, præter

ter vultum tuum, quô serenabas, animabasq; omnia, & illam quam ferro devoveras destinârasq, Thraciam respicere, cogitare, deperire. Scilicet difficillimæ omnium antè Regum Ducumq; expeditiones, solam Oratorum laudem, Tuæ verò generis humani merentur admirationem. Occurrit Tibi in itinere Podolii Martis Regia, limen olim securitatis sarmaticæ, & Odrisiæ scopulus potentiæ, Camenecum. Quid egisti, imò quid non egisti Regum prudentissime? ne in duram illam humanarum virium Syrtim, aut temerè impingeres, aut non sapientissimè præterires. Ne aspectu quidem, quem leones etiã minoribꝰ feris sæpe negabant, dignari illam voluisti, ne à vultu Tuo, vel, vincere hostis disceret, vel triumphare. An ut integerrimam liberiori olim fortunæ servares urbem nullum in illam telum præter unum illud (dicam durissimum) famem nimirum, ita fortiter ac acutè torsisti, ut & divisas hostium vires, ceu in alto quodam carcere servares diutiùs & vota vinceres Orientis, qui nihil habet antiquius, quàm ut ab urbe illa absolvatur habeatq; barbara superbia rationem sociandi Camenecensia arma: jam contra leonem Venetum, jam contra Romani Aquilam Imperii. In primo enim belli tui hujus limine, vicisti Regum perpicacissime spem imprimis Europæ, vicisti vota Orientis, vicisti mortalium exspectationem, quando ita ferire Camenecen-

necenses voluisti, ut diutiùs mori possent. Accendisti finitimos urbi campos, exstinxisti superbis hostibus non minùs vitæ spem, quàm victoriæ. Ardebat ubiq; adulta Ceres, & illomet ipso igne, fortunæ suæ arridebat, quòd non plebeia falce, sed triumphali JOANNIS III. manu legeretur. Tanti nobilitate fati erectæ segetes, tendebat cælo capita, & quasi exultabant, quòd non barbarorum gulæ famique, sed Tuæ inciperent servire tandem gloriæ, Regum maxime. Exspirabant non sinè quodam lætitiæ sensu uberes culmi, suosq; manipulos inter bonæ frugis acervos numerabant, quòd vel ipso suo casu barbarorum avaritiam prosternerent. Triumphalis flamma latè spargebat fumum, qui lachrymas hostibus eliceret, & devotis orco victimis, atra illa suæ fuliginis nube proluderet. Inter alta ubertatis illius incendia, relucebant jam, quæ Te à fronte exspectabant Victoriæ, patebatque quantùm, sibi à Te meritò timerent homines-qui Cererem ipsam, quæ inter Numina numeratur, ad rogum & pyram condemnâsti. Ac ideo pepercisti cum urbe barbaris, Regum optime, ut sanctiores faceres, quàm inveneras, docaresq; ad parsimoniæ leges vivere adempta Cerere, quæ tot sceleribus tamdiu ferebat alimenta. Nunquam enim deinde (si publicæ famæ fidem damus) accubuerant mensis Bistones, quin temperantiæ meminissent,

ſent, cujus antea etiam nomen ignorabant Dicam amplius, non tumulis modò telluriq; ſed avaro etiam orco feciſti beneficium, eò quòd plures jam capere poſſit barbaros, quia immani corporum ſuorum mole cadentes, pluribus hactenus negare locum videbantur. Arſerunt ergo non magis injecto igne, quàm tanti operis amore, Podoliæ campi, & unà cum exuſtis frugibus fumoq; alto, inſerti nubibus, primam ſe victoriam pro felici Tuarum curſu victoriarum ſideribus nuntiârunt, non eſt, Regum fortiſſime, cur Saturno invideas meſſes aureas, quas ad ſolius avaritiæ alimentum creviſſe fabula eſt, pretioſior eſt ſeges hæc Tua, quam ad publicæ ſecuritatis palatum meſſuiſti. Si rurſus Dii, quod olim antiquitas commenta eſt; publicum inſtaurarent convivium, non aliam ſuis inferrent menſis Cererem. Dicam quod ſentio; minus jam eſt hodie, quòd inter Xerxis vincula Neptunus, inter Tyri catenas Hercules cenſeatur, quando inter JOANNIS III. hoſtias, tantum Cereris Numen numeratur. Vis ſcire, quem viceris Regum fortiſſime, quando Martialibus Cererem flammis addixiſti? Viciſti fiduciam hoſtium, quæ non ad delicias tantùm, ſed ad luxum quoq; tamdiu alebatur. Viciſti altam ſpem Orientis, quæ unà cum frugibus illis creſcebat, vires furoris barbari ſubruiſti, finitimi populi Societatem præcidiſti, feciſtiq; ut mitior ſit fera hæc, dira fame omnes nervos

inti-

intimè populante, quos in Europæ jugulum intendebat. Et hoc est absentem etiam prosternere, claudere vaginâ mucronem, & tamen de barbaris triumphare, non fuso sanguine lauros colligere, lenta morte hostem perdere, & servare urbem ad exitium orientis. Et jam satìs fuisset aliis omnibus ad gloriam, ad prodigium satìs, satìs ad exemplum sæculorum, si eo exitu, bellum terminâssent, quo inchoâsti, sed Tibi uni parum erat Regum maxime. Ivisti ultra, quò Te ingens nominis fama, quò gentis gloria, pluribûs aucta discriminibûs quàm spoliîs, quò Tuorum Ducum studia, quò Poloni militis ardor, quò excutientis barbariæ jugum, Europæ labor evocabat. Ne tamen interim ullum gradum sinè victoria faceres, peritas ordinâsti in Podoliæ sylvis insidias, ut erumpentes Camenecô Centurias, sub iisdem arboribus sternerent, quas ad focum domesticum, gelidus Thracum metus eruebat. Et respondit Martis eventus, non tam è voto quam ex Tuo Imperio, capti mille currus, cæsi bis mille viri, omnes cedere ex vita priùs, quàm ex campo parati, juga boum abacta totidem, & tantùm, non portæ urbis illius occupatæ: idq; ideo quia vetuisti tot scelerum reum hostem simul cædi, ut sæpiùs audaciæ suæ pænas lueret. Armavit olim galeîs quosdam Præmislaus truncos, stipitesq; cùm viri deessent, ut hostem vinceret. Tu omnem illam quanta fuit, sylvam, in exitium

tium barbariæ instruxisti, ut palàm foret, non esse in Regno Tuo arborem, quæ in trophæum tibi, quoties imperas, abire, vel nolit, vel non possit. Docuisti satìs Polono esse Principi ad orientis cladem, suas in illum sylvas ordinare, sed non hic stetit gloriæ Tuæ meta, à sylvarum nemorumq; strage, cladem Thraciæ auspicatus es. Fuit interim non nemo, qui, ne ille ipse sanguis, quô ferrum imbueras, sinè tanti operis memoria efflueret, truncis hostium, sublime triumphalis illius sylvæ limen, an portum inscripsit.

Nulla tam cæca sylva est,
Quæ Numina terrarum non respiciat:
Et hos, quos miraris,
Cave, ne inanes truncos credas?
Trophæa sunt,
JOANNIS TERTII
Post Reges Natos Maximi
Mutæ arbores amissîs frondibûs.
Non jam folia.
Ventorum ludibrium,
Sed sæculorum ferent invidiam.
Præter confixa ramîs suîs Thracum capita,
Alios fructus dedignantur.
Hìc
Barbarorum excidium feliciore manu peractum est,
Quàm illi nemus eruebant.
Arborum, quam cernis, umbra

Ter

Ter mille extinxit Getas!
Nimirum
In ſylvis (hoc eſt) in cubili ſuo
Tot feræ periêrunt.
Non procul ab arborum cæde ſterni debuit,
Qui tamdiu aluit belli facem!
Nisì una manu Poloniæ ſceptra,
Altera orbis utriusque gloriam teneres
Regum fortunatiſſime;
Jam non frondes, ſed novi imperii faſces
Hæc tibi ſylva protuliſſet.
Metire cladem
Si potes
Poſteritas;
Ad ſonitum ſylvæ hujus
Sæva Propontis exhorruit:
Meotis ſedibûs mota ſuîs!
Camenecum concuſſum eſt, & tantùm non e-
verſum!
Ut ſtaret ſcopulus
Humanis viribus formidandus.
Dabis tamen veniam
Regum fortiſſime,
Actum erat de victoria illa,
Actum de Beſſorum cladibus
Nisì tam fæda mors hoſtium
Ad luſtra ferarum divertiſſet.
Tot ſcelerum monſtra,
Vix poterant capi extra ſylvas.
Benè precare poſteritas;

Biſto-

Biſtones.
Qui maria, qui regna, qui omnes Europæ Inſulas turbârunt,
Tandem in Podoliæ nemore quieverunt.
Heu!
Quàm parùm terræ, magnam ſufficit ad ruinā!
Terrarum Domini
Tantillum glebæ impleverunt!
Non altiùs eminent Thracum buſta,
Quàm arborum folia,
Quæ incubuêre cadentibus.
Septuaginta Regnorum Domitor,
Sub nudæ arboris fronde jacet.
O immenſas fortitudinis Tuæ vires Regum Maxime;
Tantam ſuperbiam! in tam humilem tumulum projeciſti.
Eodem loco cecidit, quô, raptum aurâ folium!
Non intra ædes, neq; intra tectam mænibûs urbem,
Sub aperto cælo fuſus eſt barbarus?
Ut Sidus non fuerit,
à quo non videretur.
Deſinimus mirari, tot olim numina in Sylvis habitâſſe,
Quòd Tuam in illis manum,
Cladibûs ſuîs adorat oriens,
Europa veneratur.
Vel ſi taceat Fama;
Literæ ſileant,

Vocalior hæc nemore Dodonæo loquetur sylva:
Eum Polonis imperare Principem,
Cui parem fingere Pöetæ nesciverunt.
Date sæcula Victores:
Non poterat ignobiliore fato Biston occumbere,
quàm inter fungos:
Neq; turpiùs frangi, quàm inter fraga.
Aptum nempe
Et Tuæ gloriæ, & illius ignominiæ locum delegisti
Regum prudentissime,
quòd
JOANNIS III. Victoriis
Tantùm immortalitatis comparâsti.
Dicite sæcula
An uno ævo tam nobilem prædam
Æquè hostium, ac ferarum Venator Princeps exspectare debuit!
Aurea quondam Æneæ virga;
Bistonibus, tota illa sylva prælusit ad inferos.
Nullus ex illis quos intercæpisti curribus, Polone Miles,
Non triumphalis erat:
Nullus non Romano dignus invehi Capitolio?
Fecisti Regum Prodigiosissime,
ut axes illi,
Qui ereptos sylvîs truncos exportare voluerunt,
Non cæsas arbores, sed cladem efferrent orientis.
Immane pondus & non nisi JOANNIS III. par ingenio.

Erigite

Erigite triumphalia Niedoborienses sylvæ capita
Infame nuper latronum hospitium,
Hodie theatrum triumphorum?
Ostentate palmas posteris,
Quas fuso Bistonum Sangvine collegistis!
Occupate nidos Aquilæ,
Quos vultures hactenùs tenuerunt.
Habes nemora, habes Sylvas, Regum fortissime;
Ubi non Leones Tibi, sed fortiores nascuntur
victoriæ.
Si Metempsichosi Pythagoræ fidem damus,
In quæ monstra non migrâssent barbarorum
animæ,
Nisi illas ferri Tui pavore è sylvis in stygem
usq; pepulisses?
Si quis Martem fatigare possit hostis?
Credo non sub alia securiùs quiesceret arbore,
præter eam,
Sub quâ tot Orientis exuvias reliquisti.
Et jam hic subsiste
Tanta cæde hostium fædate mucro;
Pulchriora sunt ad quæ properat,
Rex fortissimus.
Iam impar est tabula
Tanto operi exarando:
Discat Europa
Ex uno hoc stratagemate
Sapientissimis Regibus nusquàm Palladis deesse
clypeum, nunquàm hastam.
Audiant Posteri

Feliciùs Principum capita, quàm Civium manus triumphare.
Vobis verò
Teſtes tanti triumphi Podoliæ ſylvæ,
In quibus ita fortiter ingenium Regis effloruit,
Sufficiat hoc Elogium:
Odryſiâ Lunâ eſtis altiores,
Ramîs inumbrâſtis Orientem.

Poſt Podoliæ ſylvas, trophæîs, palmîſq; Tuîs plenas, poſt finitimos Cameneco populos, qui adverſæ urbi ſecuras ferebant ſuppetias, terrore afflatas Panico, ingreſſus es limen hoſtium Valachiam, ita ſecuro victoriæ triumphiq; paſſu, ac ſi Regiam Tuam urbem peragrares: Non plures etenim intimo lateri excubias, non fortiores vigilias ordinâſti, illud ipſum quô excipiebaris tectum, Majeſtate Tua implebas, non armîs virîſq;. Caſtra non tentorium Tuum munire voluiſti. Latiùs nimirum Tua porrigebatur Majeſtas, quàm exercitus, atq; bellîs invictum animum injuria erat ab alio cuſtodiri. Quoties tamen Caſtrorum ordo excubiarum mutabat ſtationem; Tu ſecuritati Tuæ, non Polonorum, de quibus eras certior, ſed Semenorum, Cozacorumq; deligebas centurias, quas alii præter Te, non minùs quàm hoſtem timuiſſent. Scilicet omnes fideles Tibi facis, quos propiùs admoves majeſtati, Regum Sapientiſſime. Multi enim Principum, plures Regum, non pauci Imperatorum, addam etiam Tyrannorum

norum, dum falli timent, fallere etiam docuerunt, plurimi quosdam minùs sibi fideles credendo effecerunt. In quotidiano deinde procinctu itinerum, non priùs tubæ belli dabant signum, quàm Tuæ in Superos Pietatis, non priùs ad arcus festinabas, quàm ad Aras, non priùs ad clypeum, quàm ad Religionis Tuæ volumen, Triumphalem manum extendebas. A Sacrorum Cereis, belli facem, non ab Erynni, Furiisq; accendebas. Non magìs ergo surgentis Phæbi radiîs, quàm Tuo in cælites cultu ardebant dies. Hàc ita ad hostem properabas, ut ne Chotimum, quod Tibi occurrebat; secundùm Gloriæ Tuæ theatrum & supremum ad Regni solium gradum, aspexeris quidem. Nihil de periculosissimo illo bello, nihil de victoria Tua disserere voluisti. Occurrebant ingentes tumuli, occurrebant nominis Tui trophæa, erant qui modestiam Tuam fortiùs oppugnarent, ostenderentq; quæ ad posterorum exemplum impresseras vestigia. Imò digitô etiam monstrabantur littora, quæ præcipitî fatô hostium, quæ cruore Bistonum annotâsti. Tu Regum modestissime, quasi non ipse fecisses, memores tantùm publicæ Religionis tendebas cælo manus, quòd eam Poloniæ victoriam indulsisset, cui Orbis vix par fuit. In Valachiam, Moldaviamq, festinâsti, quasi majus gloriæ quàm vitæ restaret theatrum, ad ea, quæ animô destinaveras peragenda, impendisti omnes operi vi-

res, non tam ætate annisq; quàm cladibûs hostium graves & trophæîs. Metuenda quidem erant omnibus ipsa illa, tot terrarum spatia quæ hostem dividebant, sed non Tibi Regum fortissime, qui ipsîs fortiùs urgebaris discriminibûs ad opus pulcherrimum, & uni Tibi reservatum. Occurrebant ubiq; multæ paludes, & inepta trophæis stagna, tot exercituum cladibûs superbæ rupes, insidias minabantur. Aderat incolarum ingenium ob hostium victoriam pertinacius, quod æquè periculum fuit pati, atq; contemnere. Nimirum in desperationem alios ipsa illa loci plaga egisset, quæ Tibi nec moram fecit. More fulminis fregisti omnia, omnia terrore implevisti: Taceat fama, livor sileat, mirentur posteri, antiqui invideant. Cæsar Augustus, continuò tres triumphos egisse olim legitur; magnum illud & memorabile fuisset, nisi Tibi, non dies, sed horæ singulæ, momentaq; dedissent victorias, tot ubiq; discrimina superanti. Toto illo itinere tantùm semel tempori tardiùs eunti, quòd hostem moraretur indignatus es; ipsos verò Thraces tamdiu sensisti, quàm diu abfuerunt.

Sed mitigavit impatientiam pulcherrimus ille triumphus quem Tibi Iassiensium populorum deditio adornavit. Urbs est, quàm Veteres Valachiæ caput, nostri Moldaviæ dicunt Metropolim, inde Sereptô, hinc Prutô cincta, fluminibûs; hæc sive è nigro mari exeant, sive in Eu-

xinum

xinum dilabantur, æquè certum. A tergo Camenecum habet, Chotimum, & Cecoriam; Thermopylas, vel Cannas Polonorum æquè, atq; Thracum, fronte Danubium, Bessarabiam, Bulgariam, Pontumq; respicit; uno latere in Ungariam, altero in campi deserta, Mæotim extenditur. Urbs non murîs sed virîs, & arduo accessu munitissima. Valachiæ, Moldaviæq; Ducum ac Palatinorum Regia, irruentium Campania Barbarorum. Hæc non ideo narravi, quasi ignorares Victor, sed ut palàm sit orbi, ad quam urbem quantaq; celebritate accesseris. Effundebantur obviæ inundantium populorum legiones, tecta tripudîîs, fora carminibûs personabant. Pars victorias Tuas, pars hostium cladem, pars suam felicitatem celebrabant. Erumpere omnes & quasi ex ferrea Otthomanica Tyrannidis obsidione eluctati, respirare liberiùs, & auras, quæ te vexerant ab ævo reduces aureo, salutare, insultare periculis, aditus, quibus ferebaris obstruere, circumfundere, obireq; fercula; imò etiam præcedere, ut viderent vultum illum, quo Regna, Soliumq; serenas, quô terres hostem. Et erat non ingrata victori fama, pugna illa populorum; sinè sangvine, non tamen sinè rubore quodam, inter se certantium de primo Regis aspectu. Non aliter quàm si ex Odrysiæ servitutis Tartaro, ad Campos Elysios prospexissent. Pueri senem, securæ virgines virum, pauper nobilem, æger fortem ad trium-

phalem

phalem illam quâ veniebas portam provolare, Matrum oblivisci suarum infantes, & obviæ turbæ misceri, ut delibare oculô liceret Orthodoxi Imperatoris majestatem, videreq; quanti Regis pars esset victoriæ. Etiam lætæ Matres, (quòd nunquam alias) non sua pignora, quæ illis perire in tanta fortuna non poterant, sed Tuos vultus, tuaq; lumina requirebant, Regum Serenissime. Agebas enim ubiq; triumphum, & nondum tam atrox bellum feceras; perinde atq; idem tibi foret prodire extra Patriam, quòd triumphare. Sed quis totum referat, (qui Sparthæ illius excedebat Pomæria) liberum occursum, quis exuta barbarie, conspicuos, nova veste Valachos? quis immemores jugi Moldavos? quis effusos ante Latina priùs Sacraria, infulatîs Capitibûs Præsules. Quis deinde insignem niveâ Togâ Romanî Ritûs Clerum? Quis ævô venerandos Græciæ Religionis Flamines? & tantùm non ipsa Templa arasq; ad Numinis, quòd augusto vultu spirabas, occursum effusa satìs memoret? Quis instructas more gentis illius dapes efferat, ex quibus nihil præter clementiæ Tuæ usum delibâsti; lautiùs enim Urbs illa conspectu Majestatis, quàm Tu illius epulîs fovebaris. Altiùs elogia Tua, quàm fides Moldaviæ resonabant. Audiît hostis, & expavit, non minùs belli Tui tubam, quàm fatidicum illud publicæ lætitiæ carmen, quòd cecinit abeunti.

Augu.

Auguste Beſſi navita Sangvinis,
Fulmen Gelonum, Threjiciæ pavor,
Pallorq; Lunæ; Te Propontis,
Te Thanais, pavidiq; nôrunt
Extrema mundi. Te poſitâ minor
Biſton pharetrâ, Te Thetis ultima
Remîſq; velîſq; & remotis
Oceanus trepidat carinîs
Totoq; ſudat decolor æquore.
Capeſſe palmas, quas Tibi nec mare,
Nec fulmen irati Tonantis
Eripiat, nimiuſq; Cæli
Adurat ardor. Sentiat Herculem.
Devota ſævæ progenies Theti
Mæotis, Euxiniq; Lerna
Diſcat Eos, trepidare Solem,
Ultra propinquum Nerea Gadibus
Effunde bellum? jam Rhodope timet,
Jam pallet Arctos, jam Pelorus
Stare ſuô dubitat profundô.
Effringe nigri limina Nerei;
Effringe portus; frena Propontidi
Impone Victor; Te Canopus,
Te Lybico ſitit Auſter æſtu:
Te barbarorum conſcia criminum
Aurora poſcit; Te Zephyrîs Arabs
Suſpirat ultro; Te pudendæ
Religio famulata Lunæ
Proſpectat, alti è margine littoris
Lauroſq; nectit. Parva manus Lechis
At

At Ductor ingens! ipſe Mavors
Ipſe phalanx, Acieſq; prima.

Ad Sereniſſimum deinde Principem Jacobum, quem non minùs periculorum ſocium, quàm gloriæ comitem ubiq; habuiſti, magna pars verſa populi, vovere Principi Optimo, annos illos omnes, quos hoſtibus ademiſti, optare Patris triumphos, Regna, Euxinum ultra Mæotimq; extendere, & non ſinè blanda quadam majeſtatis injuria, jam illi, jam Tibi Serta nectere, jam novas palmas, jam hoſtium cladem triumphali Dithyrambô ominari:

Perge Regum Sangvis alte,
Perge Princeps, perge Natum
Sole ſidus. I per iras,
I per atri terga Ponti
I per undantes Scythiæ procellas,
Quò vocant palmæ Patris & triumphi.
Te renaſcentis ſitit ora Phæbi,
Phoſphore Regni.
Te triumphatæ pavet ira Lunæ,
Molire paſſus ſidere proſpero
Saxa per & Scopulos, & Beſſi limina mundi,
I per funera Thraciæ.
Auguſte ſangvis Purpura Te decet,
Quam non Pelaſgæ præda Thetys
Sed Geticô pudefacta tabô
Aurora tingat. Dacia jam Tua eſt.
Unus ſed Lechico parum
Orbis Alexandro, quærenda eſt Thracia ferrô.

Quà-

Quàcunq; faustum victor ages pedem,
Floreat tellus, placidoq; vultu
Rideant soles, & amæna plaudat
Aura susurrô.
Astra te nôrint Clypeumq; Patris,
Quò regna, labentemq; nuper
Sustinuit sinè clade mundum,
Post fracta sævi fulmina prælii,
Riphæa molles præbeant toros juga.
Nulla triumphales perturbent classica Somnos,
Relevetque sitim victa Propontis.
Nectar sint haustæ Geticis de fontibus undæ.
Perge Magne, perge Princeps,
Sidus Arctoum, Soboles Polonô
Digna Gradivô.
Dacicas pleno Cynosura curru
Devehit Lauros. Tibi cedit ensem
Minax Orion, fulmina Jupiter,
Sol radios, Ariadna Sertum.

Tu verò ut ampliores plausus declinares Regum Modestissime, ad Castra, Cecoramq, properâsti, Cannas olim veriùs, Thrasymenumq; Lechiæ, hodie theatrum gloriæ tuæ. Hic Ducum, Heroumq; busta illorum, qui occubuerunt, nominibûs altiora quàm tumulîs conspicatus, & de proximi hostis Castris à prudentissimis Ducibus admonitus. Heròés alti, meorum pars magna discriminum, sub pedibus majorum nostrorum tumulos, Patriam à tergo, à fronte hostem, ab omni parte cæli habemus gloriam.

gloriam. Qui in arma venit, Geta quidem venit & fugax Parthus, ſed non ideo fulmen contemnitur, quia dum ferit, perit. Euxini procella eſt noſtrô frangenda clypeô, ſi Patriæ Aratem ſalvam volumus. Robur eſt Aſiæ Adriatico mari deſtinatum vel Imperio, ni arma opponamus, imminentem Getam ſi campô vicerimus, tam procul erimus à periculo quàm ab hoſte. Magna præda eſt, Europæ ſecuritas, quàm fusîs Thracibûs referemus. Sudat toto mari Leo Venetus, luctatur cum Buda Imperium, utriuſq; fortuna in arduo, ni vires diſtraxerimus Orientis, niſi noſtro pectore, Socialis belli diſcrimen exceperimus, niſi in partem cōmunis triumphi iverimus. Urgent nos ad nobiles palmas majores noſtri, quorum ſtamus in tumulis, & pedes noſtros, ad ſuæ fortitudinis vel exempla trahunt vel veſtigia. Sermoni finem feceras, jam belli ſignum juſſiſti cani, ne longiùs de prælio loqui, quàm arma cōferere videreris. Quid enim faceret Tuas inter haſtas, & ſuos arcus deprehenſus hoſtis, à latere montibûs quos ſuperaverat, à tergo criminibûs quæ reliquerat, à fronte exercitûs Tuî facie terrebatur; non manum ſequi pharetra, non vires manum, non gladius, non equus obſequi; tamq; difficile fuit Te coram miſeris vivere, quàm ſuperbis mori: non ita clauſæ caſſibûs feræ quærunt exitum; non ita fulmen nubibûs erumpit ſuîs, non ita ſummîs evulſum

ſum jugis Saxum ſe ſe præcipitat, ùt Beſſi in primas Caſtrorum tuorum excubias, ſe ſe effudêre. Datur debito pridem tot ſceleribus exitio agmen illud, quòd ad prælium quidem triginta prope ſuorum millia, ſed ad cladem ſuam & triumphum Tuum, totam, quanta eſt, Tauricam numerabat. Committitur utrinq; acies, quàm gladiatoria deſperatione, furor barbarus armaverat, ſed primos inſultus, pertinaciſſima ſua morte ita clauſit, ut nec iis, qui ſupererant Thracibus, nec victori Polono urgere palmas licuerit. Nam & indè fugientibus imperviæ paludes, indè minantes ſcopuli monuerunt hoſtem, ut illâ, quâ ad prælium viâ deſcenderat, vulnera ſua reveheret. Per ſtratos enim cadaveribûs campos, non per triumphos, quos adornari vetuiſti, in Theiniam, Budziacos, Billogrodum, Beſſarabiam, & Euxini fauces feſtinabas, nihil enim lentum eſt magnis mentibus Sequebaris iter, quod fugiens Parthus aperuerat, maluiſtiq; hoſtem qui ſupererat vincere, quàm necare, hoc eſt ad majores palmas ſervâſti enſem. Sed ò difficultates immenſas! ò inſuperbilem belli ſeriem! ò labores ævô majores! quos Tibi plaga illa reſeravit. Sidera imprimis occurrebant virîs, galeîs, clypeîſq; nimia; tellus deinde inhoſpita, & littora plùs quàm barbara, quæ nec homines, nec feras alerent. Tu modeſtiâ tantâ de his diſcriminibus triumphabas, ut ne Patria quidem ſcire diu potuerit,

rit, qua parte cæli, plagâq; morareris terrarum. Jam Danubius, jam Tanais, Tuas palmas Neptuno detulerat, & adhuc viſtula Vartaq; ſilebat. Jam omnes cõputârant Victorias Tuas exteri, jam ſudabant ſub Tuis trophæis ſcriptorum calami, jam ipſi etiam hoſtes (ne puderet victos) fortitudinem Tuam celebrârant, Soli Cives Tui, quanta egiſſes, neſciebant! Ita ſecuros nos eſſe voluiſti, ut ne illa quoq; ad nos pericula, quæ tam procul ſuperaveras pervenirent.

Properante ad Indias Sole, quanta in illa, quam deſerit, cæli parte mutatio! quàm diverſa rerum facies! certantium inter ſe ſiderum quanta pugna? quot, & quàm atræ nubes, primam illam corrumpunt Serenitatem! Cælum everti, diem ruere, lucem mori diurnam, omnia Sole ſub terras exeunte, videmus ire in contraria. Felicius fuit triumphale Tuum iter in Scythiam, Solis viâ, Regum Sereniſſime. Te enim tam longè abſente, nullus in regno tumultus, nulla Seditio, nullum de Tua fortuna periculum, quàm tot virtutum excubiæ, quocunq; Te verteres, ſequebantur. Labebantur eo curſu momenta rerum, legeſq; & Sacra, quem Te ſpectante tenuiſſent. Numinis enim cujuſdam more, ubiq; nobis obverſabaris, ubiq; nobis occurrebas, non domus, non ara fuit, quæ Tui memoriam non coleret, quæ Tuarum victoriarum deſideriô magîs, quàm cerîs non arderet. Ipſos etiam quos in magnam Regnorum ſpem adhuc

adhuc domus tenet, Regios infantes sæpiùs de Tuis triumphis colloquentes admirati sumus. Quæ regio (boni superi!) quæ pericula semper invictum Patrem tamdiu tenent? ò Genitor ipsa nobis luce charior, quæ te tam barbara tellus moratur? cur à vultu Tuo pendere, cur triumphalibus affundi plantis non licet, & ex vestigiis colligere, quàm vasta terrarum spatia decurrerint? nondumne cæsus Biston, nondum capta Orientis castra? nondum erepti arcus, quos tendamus? nondum aptas ludo nostro hastas porrexit victoria? Ibant deinde ad Augustæ Parentis Regiam, in qua Regni fata, in qua Tuam securitatem, in qua nostram Fortunam, animos supra viros, supra sexum expendebant. Ibi enim requirebant, Te oculîs, ibi Regio singultu Patrem non magìs suum, quàm Patriæ conclamabant. Conceptum verò ex tam longa absentia, intimîs medullis dolorem, non Næniæ ad infantilium aurium blanditias compositæ, sed victoriarum Tuarum narratio, & triumphi apparatus leniebat. At non Regiam modò, sed fora theatraq; omnia adhuc absens impleveras triumphîs, aderas legum vindicibus, cùm fata decernerent mortalium, & tacitè monebas: ea integritate omnes, jus fasq; exigerent, qua Tu periculosissimum hoc bellum superabas. Omnes enim à Tuæ majestatis supercilio, quô ubiq; eminebas, magìs, quàm ab edicto prætorio pendebant. Ita omnium

agita-

agitabantur causarum momenta, ut ne Lycurgus quidem aut Numa, Sanctiores desideraverit sententias. Dabat unusquisq; operam, ne quid tale ageret, quod à bello reducis majestatis tuæ lucem, nube aliqua tristitiæ posset offundere. Nulla in urbibus, nulla in foro mutatio, nulla rerum novarum molitio. Quod nuper nescio cujus Oratoris assentatio, Philippo Regi scripserat; hoc Tu Regum Maxime elogium meruisti. Quod enim aliis in populis, præsentis Domini metus non impetrat, hoc Tibi Patriæ pietas ultro præstitit absenti. Tanti nimirum fuerat suprema hæc Tua, tam longa, tamq; ardua, in Valachiam, Moldaviam, Daciam, Scythiam expeditio! ut hæc Tuorum in Te studia populorum; tantò clariùs Tibi constarent, quantò longiùs à nobis discesseras. Nostrâ quoq; intererat, Te tamdiu à regno, tamdiu à finibus Imperii abfuisse, ut meliùs disceremus, quantùm simus Te præsente felices, postquàm tamdiu sensimus absentem.

O quàm lento gradu ingens triumphus venit! ò quàm serò magna exeunt? quàm tardo pede fata labuntur mortalium? suprema ingentium cladium hora, quàm invita properat? post tot dierum interitus, post tot occasus & funera, mortes hominum, fæda tandem Serethi littora, cæde sua Biston eluit, abstersitq; sudorem Polono militi, quem illi suâ tam longâ prælii fugâ expresserat. Effusa enim solitò celeriùs;

leriq; (quasi ad cruentum scythiæ funus evigilâsset) Aurora, laborare sequacia Lunæ Otthomannicæ astra, vixq; impulsa acie ire in præceps bustuarium, Scytharum agmen se invicem festinando tardare, ultimi primis, Murzæ postremis misceri: Polonus eminus urgere terribiles visu formas, cominus hastîs configere, frontem alii, alii terga fugientium occupare, ferire, cædere, hostes alii vulneribus succumbere, alii inflictas ferrô mortes, in Sylvas, in cæca ferarum cubilia, alii in Serethum, Dziezamq; dignum enim verò tam fædâ animâ sepulchrum deferre, hi inter suorum Ducum odia, illi in Tuæ clementiæ invocatione exspirare, alii relictîs in acie signîs, avulsîs alii ferrô membrîs, reliqua parte corporis, vultum Tuum veluti supremam in clade illa Numinis aram requirere; omnes arma quæ supererant, victoris pedibûs calcanda projicere, terram osculîs premere, & quasi audaciæ suæ nomine deprecari, quòd in illam descendissent. Nullus funerum cædisq; finis erat, nisi alios mors longior ad Pompam triumphi, alios Tua servâsset clementia. Armorum Tuorum metu projectos non urgebas, sed leonum more præteribas, quos impulisti. Indè fuit quod extra aciem, in qua sola parcere nulli licet, cædi obvium hostem vetueris, vita (inquiebas) etiam majoribus potest eripi, nunquam conferri nisi minori potest. *De Pompeii capite Pupillus & Spado tulère Sen-*

 tentiam

sentiam, de Crasso crudelis & insolens Parthus, Cajus Cæsar jussit Lepidum Decimo Tribuno præbere cervicem, ipse Cheraæ præstitit. Omnes enim nō ita belli vinculis, quàm Regiæ potestatis reverentiâ capiebas, superos imitatus, alios in numero servare Universi, aliis frui, alios pati voluisti, ut nullus esset ordo mortalium, quem vel Majestatis, vel fortitudinis, vel Clementiæ Tuæ non duxeris in triumpho. Et tamen hostis ille, cui parcebas, vel ideo nullam merebatur veniam, quòd illam à Te toties petiisset toties violatam; Tu verò inverso rerum humanarum ordine, ideo faciliùs ignoscebas, quòd sæpiùs deliquisset, quasi minùs jam illi ad offensam restaret virium, quas tot attrivit lassavitq; sceleribûs: Tuæq; Clementiæ tantùm accederet incrementum, quantùm hosti mentis, speiq; deerat ad veniam. Per tot igitur victorias, ad Europæ triumphum tendebas, Sequebatur verò victorem Exercitum agmen illud, non tam ferrô suo pedicisq; quàm tuæ fortitudinis metu revinctum. Ibat robur Crimeæ, ibat flos Aulæ Tyranni, ibant in fronte Primipili legionum, nunquam morituri triumphi, viva trophæa, & non minùs armorum, quàm Clementiæ Tuæ pompa nobilis. Minùs profectò, minùs egeras Auguste noster, si tres uno die triumphos de aliis hostibus reportâsses. Minùs æstimamus Africani manum, quâ juratum illud belli fulmen fregit Annibalem, non

ita

ſta miramur Pauli Æmilii fortunam, quæ in ipſius arma Regem Macedonum Perſam impulit; plus eſt unum vincire Getam, quàm mille Perſas vincere! Fortiorem manum una hæc palma poſcit, quàm Sexcenti Macedones. O fulmen Orientis exitio natum! ò invictam Regis mentem! ò prodigia non victorias! ò triumphos uni Tibi ſervatos, Regum Maxime. Audete fabulæ, conferte faſtos Hiſtorici, utriuſq; Sæculi victorias, triumphoſq; proferte Oratores; plura Spolia, quàm pericula numerabitis. Principis noſtri victoria, non inter exuvias Regnorum, ſed inter Europæ fulſit diſcrimina. Equidem de hoc Tuo bello, velut de Numinis arcano reverenter decet loqui mortalem, ne aut inviſa ſit Oratio noſtra ſuperis, ſi jactanter, aut ingrata, ſi frigidè velimus loqui. Sed erit aureum illud ævum, quòd abſterſa livoris (ſi quæ obeſt) nube, totum reteget gloriæ Tuæ vultum & componet Poloniæ bellis triumphos aliorum actos ſub umbone Tuo, ne dicam ſub periculo. Habemus domi codices, habemus plenos publicæ lucis faſtos, quâ felicitate quàm modica Tuorum clade, quàm divite præda, tot interim receptæ Urbes inſulæq; quando Tu per mille Tuorum diſcrimina, ad illorum victorias, quorum Sociali militiœ prœlucebas properâſti. Palam eſſet, quæ Tu, quæ alii feciſſent? ſed vereor, ne plus Tuis victoriis invidiœ parem, quàm gloriæ. Satis eſt quòd poſt

 Suſce-

Suſcepta in Orientem bella, primò prœliò Viennam, Auſtriam, & magnam partem Ungariœ, a clade ultima vindicâſti: Secunda poſt Auſtriacam expeditione, tot amiſsis iterum Heroibûs fortiùs quàm feliciùs, centum tamen hoſtium millia, à certa Imperii clade avertiſti. Annô verò proximè evolutô (credetis poſteri!) Supra centum millia Turcarum Scytharumq; novem Tuorum ſuſtinuiſti millibûs. Lauris Eſculetum Valachiœ, paludes tabô hoſtium, foſſas cadaveribûs exœquâſti. Duodecem præliorum Victor, nunquam triumphator. Cœſorum in acie Suorum Optimatum buſta, iîſdem revexit barbarus quadrigîs belluiſq; quibûs bellum advexerat. Proxima verò hac expeditione, tantùm non portam Orientis ingreſſus es? ita volentibûs fatîs, ut rudes barbari diutiùs diſcerent quem timere, & cui ſuam deberent ſecuritatem vel exitium. Claudo paginam, ſed non Tua merita, quæ totam œternitatem occupabunt. Satìs eſt Majeſtati veſtræ ad belli hujus gloriam, quòd ſuprema hac expeditione, ab omnibus oppugnaretur elementis, imò & ab ipſis ſideribus, ut non de hominibus tantùm, ſed de cœlo etiam, aſtriſq; fervidioribus, triumpharet.






IN VICTORIAM
De SCYTHIS & COSACIS relatam.
Ab
ILLUSTRISSIMO
&
EXCELLENTISSIMO
DOMINO
D. JOANNE
In Zołkwia & Zołczow
SOBIESKI.
Supremo Mareſchalco &
Duce Exercituum.
REGNI POLONIÆ.

Auctore UBERTINO CARRARA
è Societate JESU.
Profeſſore Rhetorices in Collegio Romano.

Annô Domini 1737.



POSNANIÆ.
Typis Collegii Societatis IESU.

ILLUSTRISSIMO & EXCELLENTISSIMO
DOMINO, DOMINO

JOANNI SOBIESKI

VIctoriam Tibi olim caliginem inter & tenebras pulveris Martialis, contra Scytharum centum, Cosacorum viginti millia, felicissimè comparatam, in lucem protulimus: Excellentissime Princeps, ut nos etiam in partem Tuæ felicitatis, quodammodo evocati, Scythicæ cladis vestigia, quæ ipse non sinè gaudio fixa miraris in campo, saltem impressa typîs exteri videremus. Tu pariter nostra cum leges, ignoscas, precor, si paginas illum afflare non sentis ardorem, quem Tuus in Campo vultus anhelabat. Id unum invenies me tantùm à laudando defecisse, quantùm ipse præstiteris præliando.

CARMEN.

O Fortuna! novo ſemper quæ perfida vultu
Non ſinis immotum requieſcere ſedibûs orbē
Orbe tuo deſcende rotâ: Sinè lege vagari
Non datur ulteriùs, nec motus inter utroſq;
Fortunatarum rerum, pariterq; malarum
Sarmatiæ poſt hac verſare volubile regnum
Jam tandem alatum clavîs fatalibûs axem
Fiximus: & certum dedimus vincendo tenorem.
Cùm Scytha barbaricos in nos converteret arcus
Divitiîs & mole potens: trepidâſſe fatemur
Regna CASIMIRI, dederit ſolatia quamvis
Inſtabilis ſub Athlante Polus, quem poſſe moveri
Credidimus, non poſſe rui, ſed clade Getarum
Imperium ſuperimpoſitum cum ſtare videmus,
Fecimus æternum & nunquam mutabile fatum.
Tu mihi SOBIESKI tanti certaminis author
Pande iter & comitem Tecum me tolle per arva
Sparſa cadaveribûs Geticîs, fas viſere campum
Virtutis teſtem; nec quos jugulaveris ipſe,
Te monſtrante ſciam: cernam quos occupat ingens
Funus; & à grandi dignoſcam vulnere dextram.
Quodſi Te circum pictis fremit undiq; in armis
Clara manus Juvenum, pictis ſpectabor in armis
Ipſe ſimul, tractabo faces & Apollinis arcum,

Et Vates & miles ero; Sic sentiet hostis
Ultima Mavortis post vulnera; vulnera Phœbi.
Ut fera Sarmatiæ, placidam Moschovia dextram
Obtulit; & positis siluerunt classica bellis,
Aere catenatur Mavors; sic alma jubebat
Religio; trahiturq; rigens ubi sidera pulsat
Caucasus, hic nuda religatus rupe Prometheus,
Ultorem adversùs Phæbum pandebat hiantes
Fibrarum caveas, spatiosaq; pectoris antra
Morsibus impastæ volucris; vorat ipsa medullas;
Aeternumq; bibit rostro sitiente cruorem,
Quem simul attonitâ speculantem mente futuram
Pænarum seriem, Dea conspicit, ocyùs inquit
Hic famuli religate virum; scopuloq; vacanti
Succedat Mavors; fuerit, quod fabula jactat;
Grande nefas, vetitum Solis tetigisse cubile;
Danda tamen sceleri venia est, speciosaq; furti
Causa reum absolvit, neque enim, nisi amore virorū
Ausus adire domos ignis, & sumere vitam
Vitali de Patre, hominum si semper ad usum
Noctes atq; dies volvunt Titana labores;
Cogitur & major mundus servire minori;
Partem homini tribuisse sui cur displicet? iste
Transeat in Martem scopulus, qui detulit orbi
Accensas Acheronte faces, territq; nocentes
Divisit cineres; & nunc de cæde Polonâ
Ebrius, ecce tulit madidantes sangvine rictus,
Ipsaq; jam saturâ lambit fastidia lingvâ.
Ergo scelus luat ad rupem; stet desuper ales
Excubitor. rostroq; fibras populante pererrans
Immortale trahat pectus; ne ve aspera rumpat
Vincla, vel effugio pateat dolus, igne Prometheus
Excubet, & pænam, fuerat qui pæna, ministret.
Dixerat: adstantes famuli mandata capessunt:
Corripiunt Martem renuentem, & vana minantem
Imperio cogente Deæ; sic inclytus olim
Amphitrioniades, post bella exacta Gigantum
Et au-

Et nemorum exuvias, cum jam turgescere nullis
Fætibûs auderent Matres, trepidare Leæna
Alcidis clavam, medio nova bella, novasq;
Quæsivit Phlegetonte feras, & limine fracto
Inferni Jovis, umbrarum spectante tyranno;
Eripuit custodem Erebo, tractumq; catenis
Spectandum latè populis præbebat Achivis.
Cernimus affixum glaciali in rupe Gradivum,
Terribiles ne quidquam oculos, frustraq; moventem
Brachia, terribiles humeros, & vincula vastos
Circumplexa toros, ipsum cervice superbâ
Insultantem Astris; superosq; in bella vocantem.
Sed pedibus latrare hyemes; raucosq; videmus
Cum sonitu in præceps descendere montibûs amnes;
Stare ruinosas cautes, pendentia terga
Sylvarum, & curvos apices librare timorem.
Aeacus hæc unquam, aut Minos si regna viderent,
Mutarent tormenta reis; Acheronte relicto.
Monte sub hoc Theseu gemeres, penderet ab istis
Ixion scopulis, hæc Sisiphe saxa rotares.
Non tamen his furor, aut odium implacabile Martis
Mitescit pœnis sed opaco cinctus ubiquè
Agmine nymborum; velut ardens nube sagitta
Aestuat, impatiensq; huc ora revolvit, & illuc ;
Dentibûs infrendens; morsu nunc tentat inani
Vellere nec quidquam nodos, nunc frangere dorso
Turritam silicem, sed nullîs illa movetur
Viribûs, it membris calidus liquor; inq; tenaces
Oris anhelantis descendit spuma catenas.
Ergo ubi vana videt conamina, voce tremèndâ
Exululat; quis tela mihi? quis sustulit arcum?
In quod supplicium durum, ac miserabile vitæ
Transcribor Deum? O furiæ quascunq; sinistro
Nox peperit partu, conceptu fata nefando
Cernitis hæc, nec fertis opem? quæcunq, rotatis
Arma manu, mea sunt: mea nunc mihi reddite tela,
Ferte facem, gladios, nostrosq; abrumpite nexus.

 Quid

Quid loquor infelix? videt hæc, ridetq́, Polonus:
Sed faciam doleat, pugnabo, & me quoq; vinctum
Sentiet ultorem. Dixit: nec plura locutus,
Faucibûs exhalat rabidis (mirabile dictu)
Pestiferam tabem, quâ protinus aura calescit,
Inspiratq; novos insani Martis amores.
Sic ubi, demissis sensit captiva teneri,
Getarum torpedo dolis, non territa cædit,
Morsibus aut ullis; hamo luctatur edaci;
Sed glaciale vomens atro de pectore virus,
Cogit arundineîs mortem discurrere nodîs;
Inde sui victrix; jam de victore trophæum
Pensile sustolit; dum piscatoris habenam
Concretamq́; gelu suspendit in äére dextram.
Caucaius infectîs sylvîs clamavit ad arma
Primus, ad arma gravis liquefactæ ardore veneni
Clamavêre nives, tunc clausæ vallibûs imîs
Fama est; cum Dryades, & Orcades ætheris haustum
Attraherent, cecidisse sinu, manibusq́, coronas
Ac Ciconum de more ululantes crine soluto
Pampineô molles dextras armâsse flagellô;
Quin etiam scopulo pendens, silenus ab alto
Dum sedet, atq; pecus gracili solatur avenâ,
Aura per occultos sensim demissa meatus,
Intonuit, carmenq́, dedit, ceu bella vocarent
Audito clangore tubæ; stupet ante magister
Et procul à sonitu timidæ fugêre capellæ.
Latiùs afflatu diffunditur aura maligno,
Et jam, jamq́; magis Scythiæ per viscera serpit,
Nativum excutitur frigus, populosq́; nivales
Ardor habet, præcepsq́; furor: capit arma juventus
Inscia, quis capere arma manu, jubeatq; Polonis
Irasci. Sic uno omnes torrente coacti
Quò rapiuntur, eunt. Pietas jus fasq́; bonumq́,
Barbaricas inter sunt, barbara nomina, Gentes.
In gladio jus omne colunt, & judice ferrô
Causa peroratur: nec tam spectatur honestum
Quam

Quàm placitū; solumq́, placet, quod pugnat honestos
Quæ pietas speranda, ubi cæsa cadavera Patrum
Exhilarant mensas, & sangvis spumat in auro?
Sed tamen infusum violentiùs ebibit ignem
Soltangalga, Scytharum heros, spretorq́; Poloni
Nominis, & superûm, ferus, intractabilis, excors,
Vastus, terribilis, quem si rediviva juventus
Spectaret Phlegræ, rursum nova bella pararet.
Deq́, ruinosis; & adhuc fumantibus Ossæ
Relliquiis renovans ausus; aptaret adustas
Arcibus æthereis scalas; procederet iste
Magnanimi comes Enceladi; & capita ardua tollens
Astra super: Primus limen calcaret Olympi:
Ergo ubi concepit furias, sinè more per urbem
Bacchatur, quali matrem execratus Orestes
Cùm trepidat, pœnamq́; luit formidine pœnæ.
Militis armandi locus est, ubi protinus acres
Bella canunt lituI, pendentibûs aula superbit
Exuviîs, vestitq́; truces Bellona Penates.
HucScytha(quandoquidem stimulos agit ira feroces)
Turbidus ingreditur. Gaudet spectare jacentes
Per terram pharetras, gressusq́; inferre superbos
Pila super, clypeosq́; & nigros pulvere currus.
Et modò præ manibus ferrata volumina versans
Ponderat immanes galeas, modò fusus acervis
Incubat armorum, cumulisq́; ingentibus hastas
Extrahit; & ferrô se se metitur in omni.
Miratur fractos clypeos, affixaq́; truncis
Ora virûm: plerumq́; furor medicina furori est
Et vitium speculô si se cognoverit, odit,
Hic visâ feritate furit, scenaq́; cruoris
Pascitur, ut sitiat magìs, ardescatq́; videndo
Tum caput adstringit galeâ, thorace lacertos
Induit, & manibûs validam circumrotat hastam.
Idem omnes simul ardor agit, spoliantur ahenâ
Merce Lares, tecto eruitur damnosa supellex,
Quos ubi jam plenos animîs, & robore vidit

Consiliô flectens rabidæ molimina mentis
Talibûs aggreditur Ductor: Nunc ite feroces,
Ite mei cives, totumq; invadite mundum:
Fulminis excipiat nostri vicina favillas
Sarmatia, exactîs quæ dudum saucia bellîs
Si nondum cecidit, primo est casura sub ictu.
Innumeri venient unâ de clade triumphi.
Incipiat florere semel Mavortia Laurus,
Arbor erit. latèq; suos diffusa racemos
Umbrabit totum foliîs victricibûs orbem.
Sarmata vincatur, devicta Polonia, portas
Pandet ad Italiam ; fas illic figere sedes
Purus ubi Titan ; & mollior aura relaxat
Mansvetum cultore solum, semperne procellîs
Vivendum? mundiq; habitanda silentia nobis
Damnati voces Aquilonum audire, coacti
Cum nymbis, glacie, hospitium commune tenere.
Quid plura? irrequieta quies nos urget, euntes
Hac illac vectare domos, sic more volucrum
Vivitur errando, tectumq; volatile mundum
Metitur cælumq; suum sua Patria nescit
Id tamen, aut odio naturæ, aut sortis iniquæ
Vertatur, culpam ferrô emendare licebit,
Ingratamq; alias fatorum vertere legem.
Dixerat: exarsêre omnes ; atq, agmine facto,
Protinus erumpunt portîs ; sic præscia corda
Agricolæ horrescunt, cum cardine fusus eodem
Nymbus agit Borealem hyemem, gremiôq; sonanti
Sylvarum interitus, & clausa tonitrua portat.
Sarmatiæ Dux interea venientia longè
Nubila prospiciens, tempestatemq; ruentem,
Quid faciet? contra feret agmina? milite tanto
Ipse sed inferior, non prælia, funus adibit.
Ergo ratus bellum, gravius bellare morando,
Arces præsidiô firmat, mox robur, & omnem
Militiæ florem Cameneci mænibus, addit,
Hostem terribilem operiens, venit ille; sed ignis
Ceu

Ceu vorat, oppoſitum ſi nihil invenerit, ignem,
Atq; rogô perit ipſe ſuô; ſic effera corda
Flexit ſurda quies, & vim pax longa peredit.
Tum verò incautum contra, & nil tale verentem,
Infert bellipotens minitantia ſigna Polonus.
Hic WISNIOWIECKI ducentem in prælia turmas
Cernere erat, Scythiæ fulmen magnoq; timendum
Nomine, quem juxta vadunt non impare greſſu
SILNICKI, & PIWO; formidatuſq; Coſacis
Enſe POLANOWSKI, quorum dum tela rotabit
Dextra, ſtet medius quantumvis caucaſus horrens
Pro Clypeo, excuſſos nuſquam fruſtrabitur ictus.
Nunc age, quas acies campô Sultanus aperto,
Explicuit, quibus obſtiterit fortiſſimus armis
SOBIESCUS quâ vî tandem dejecerit hoſtem
Dic Erato; bellum metuant quicunq; laceſſunt,
Eſt procul à bello, bellum ſpectare, voluptas
Ille quidem prope Sarmaticas rutilare phalanges
Ut vidit, votîſq; petitam ingentibûs horam
Adventare, jubet numeroſas æquore turmas
Diſtendi, & totos operiri milite campos.
Quiſq; ſuis hæret ſpatiis, ac limite in uno
Funeris & vitæ pariter confinia calcat.
Ipſe altô Sultanus equô velut arce ſupremâ
Spectator Xerxes, vaſtas miratur arenas
Agminibûs fluitare ſuîs; peditumq; equitumq;
Stare globos, promptos nutum ſi moverit ore
In tenebras mutare diem, Phæboq; ruenti
Accelerare novum telorum in nocte ſepulchrum.
Parte aliâ noſter fulgentibus ibat in armis
Ductor, & erecta ſe ſe cervice ferebat.
Et quamvis nunc flore Ducum, nunc ille pedeſtri
Mixtus eat populo; multis à millibus unum
Separat egregio radians in Principe vultus.
Ipſe comam grato reſperſus pulvere campi
Militat exemplô, primus diſcrimina prima
Sponte ſubit, nihil ipſe ſui, ſolumq; ſuorum,
Arma

Armorumq; memor, stat lætus & agmine ab alto
Magnanima cupidas hortatur voce Phalanges.
Lumina Sarmatiæ, quorum quid Marte valeret
Dextera; spectatum toties me judice, virtus,
Nunc eadem vocat, & Patriæ fatale periclum.
Ibitis in viles animas, quæ more ferarum,
Non opus est ferrô, vocis clamore fugantur,
Sint licèt & numero simul, & sine nomine gentes;
Nil valet alituum populus; si plebe volucrum
Congrediatur atrox Aquila; ut disperdat inertem
Pastorum pecudumq; gregem; Leo sufficit unus.
Plura locuturum fragor increpat; æra repente
Æra dedêre sonos; tunc omni ex parte solutæ
Incubuêre acies, peditumq, Equitumq; manipli
Quadrupedumq; ruunt, densatîs viribûs omnes
Urgentur, subeunt, perimuntq; caduntq; vicissim.
Aeternus foret ille dies, paritérq; supremus,
Adventu nox atra suo sed bella diremit,
Et satur ipse satìs Phæbus feritate diei
Mersit in Oceano stillantes sangvine currus.
Religio interea ventîs ad fræna vocatîs,
Aethera tranabat curru, stellasq, premebat.
Talis erat, quæ tunc etiam sub nocte serenâ
Luna renidebat tremulîs argentea bigîs,
Quam simul armorum pepulit fragor, acta repressit
Lora manu, vertensq, oculos, circumspicit omnem
Sarmatiam, latè pharetrîs horrere Getarum
Nec causæ latuêre mali; pernicior ergo
Urget equos per saxa olim damnata Promethêo,
Ecce propinquabat Scythiæ: cùm fervere virgo
Sensit hyperboreas glacies, flagrare Trionum
Frigora, & ad tactum ventorum ignescere pennas
Tunc primùm turbantur equi, spumâq, calenti
Immaduêre jubæ; repetitis nubila pulsant
Calcibûs; immissum redduntq; è naribus ignem.
Ipsa pavet, paritérq; sibi repsisset in artus
Pernicies morbi, adversùs contagia terræ

Ni quoq; cælicolis pareret sua balsama cælum
Ergo ubi summa tenet montis juga, repperit atris
Exhalantem æstus putrefacto ex ore Gradivum
Tum verò exarsit visu, virgaq; sonanti
Quâ moderatur equos, montem quatit, icta repentè
Viscera contremuêre soli, montana patescunt
Atria, & obtutus manes descendit ad imos.
Nec mora, procurrit scopulô, mox effera, quantùm
Forma sinit, Martem magna vi corripit & jam
Fatum triste sibi, casumve instare timentem
Prensantemq; trabes, genibusq; hærere parantem
Dejicit in præceps, atq; ora patentia montis
Monte tegit superimposito, clauditq; sepulchrum.
Ille diu pendens anfractibus, atq; rotatus
E scopulo in scopulum, tandem velut eruta pinus
Procubuit, terramq; ruens, rabido ore momordit,
At non tardatus casu, neq; territus atrâ
Surgit humo,& vacuum furibundus obambulat antrũ
Exululans, manibũq; nemus prætentat opacum
Si pateant aditus, sed rimula nulla nitorem
Admittit, præbentq; sibi sua lumia flammas.
Sic olim Enceladum vastâ se mole ferente
Jupiter edomitum telô, sub monte revinxit,
Victimaq; ultori ne tanto æterna deesset,
Ipse suâ cervice rogum sustentat adustâ,
Paulatimq; Gigas Aetnâ crepitante litatur.
Tũ Dea præ manibus tædã capit alma Promethêi,
Admotâq; labris meliores evocat ignes,
Ore trahens cælestem auram, flagrat illa, suoq;
Protinus arctoam recreavit frigore brumam
Præstò aderat currus, quô cùm Regina resedit
Ceu rutilans aurora movet per nubila currum.
Quaq; viam scindit quadrupes, vel spicula lucis
Tæda vomit, tabes jaculata repente recedit
Aspectu Jovis, & stygios desudat ad amnes.
Mox face Sarmatiâ vigilans accendit eâdem
Pugnaces animos & sufficit ignibus ignes.

SOBIE-

SOBIESCUM petit ante alios, qui nocte sub ipsâ
Fortè reclinabat clypeô caput: Igneus illi
Descendit vigor, & calefacta per ossa cucurrit.
Protinus in somnis solus sibi millia contra
Ire videbatur, manibúsq; errantibûs hastam
Vertigans, circum cæco perterruit ictu
Larvatos equites, & spectra sonantia ferrô.
Hæc inter, somnô excutitur, stratisq; relictîs
Poscit equos, bellumq; novat, stetit omnis in armis
Campus, & impatiens voti, spe devorat hostem,
Aeternam increpitans noctem, nimiumq; morantem
Desertorem orbîs thalamô segnescere solem.
Ecce dies tandem, certatim aurora tubarum
Voce salutatur, tam latè ignescere tellus
Incipit, assurgunt hastæ, vexillaq; primîs
Horrescunt, Zephirîs, matutinæq; pruinæ
Irrorant galeas, tepidis nitor errat in armis.
At piger è stratis surgit Scytha, tardior illum
Gressus habet, sortisq; velut præsaga futuræ
Dextera vaginæ quoties accommodat ensem
Illa cadit, capuloq; riget manus ægra trementi.
Non etenim Mavors animos dabat ampliùs ullos.
Rupe sepulchrali clausus, caluêre Poloni
Marte statim meliore Duces, bellacia corda
Acriùs inflammante Deâ, tunc impete toto
Itur in imbelles jugulos via rumpitur armis
Nec mora nec requies, hastâ gladioq; manuq;
Semineces, vivos, punctim, cæsimq; trucidant
Nil prosunt sua plaustra Scythis, ruit ecce Polonus
A tergo, ascensuq; petens, carpenta revolvit,
In præceps Dominos, ipsum temone videres
Purpureum mox aurigam, glomerare feroces
Sangvineum per iter, supraq; cadavera currus.
Ast ubi laxati cunei, nec jam ampliùs ore
Res humerîs agitur, tunc omnes ordine nullo
Ire catervatim, sparsim, seseq; premendo
Agmina festinant, festinandoq; retardant
Ossibus

Ossibus hic fractis mutilo cum corpore campo
Reptabat, partemq; sui post terga trahebat.
Ille metu pernix supra gladios pharetrasq;
It vitamq; cruentis saltibus eripit hosti,
Sed tamen ora retro gressu convertit in omni
Sarmaticam dorso ratus adventare sarissam
At campô, dum terga Scythæ vertêre rel[illegible]
Ecce ruit portis victoribus obvia pubes,
Incedunt mistæ pueris longo ordine Matres
Et crotalis festoq; Ducem clamore salutant.
Inde avidè spectare locos, ubi noster ovarit
Miles, & edomitus tentoria fixerit hostis
Procurrunt campo, gaudet pars noscere visus
Pars tractare neces, & adhuc spirantibûs extis
Vestigare animæ penetrale infame latentis.
Quin etiam pueri materna exempla secuti
Reptant scuta super, teneris mox ungvibûs audens
Effodere extinctos oculos, divellere membris
Spicula, & adstanti munus præbere Parenti.
Si quos inveniunt nostra de gente jacere,
Aut super incumbunt cæsorum corporum acervos
Aut licet hac, illac, spangantur brachia, ferri
Hæret trunca manus capulo, scintillat in ore
Ira superstes adhuc, & lumina clausa minantur.
Quis vobis Scythicæ Matres? tunc sensus & amens
Ira fuit? cùm fama mali prænuntia tanti
Narraret dulces natos, & vestra virorum
Corpora, Sarmatica penitus cecidisse sub hastâ?
Tunc illæ in tergum versis de more capillis,
Præcipites cum fletu, & funereo ululatu
Ascendere rotas, suisq; nivalibus errant
Bacchanturq; simul, radicibus antra revellunt
Ferales structura pyras, mox igne sub ipso
Exequiale canunt confuso murmure carmen.
Nec non uxores al â de parte Cosaccæ
Respondent longè lacrymis, æquantq; dolores,
Ostenduntq; rogos similes, sic unica clades
Cor

Consociat luctum, & populorum fata duorum.
Sed vos Sarmatiæ Proceres, quibus una p
Aeternum fortuna decus, si fortè superse
Barbarici cineres, nec adhuc scintilla resed
A..ninis incensi; nunc ô nunc vestra sub... ..an
.. Tanaim Bellona natet, sparsisq; favillis
A..notumq; virûmq; gravis vomat alveus unda
Re..liquiæ pereant scelerum, nomenq; Scytharu
A..radatur humô, spero hæc, votiq; peracti
Q..àm primùm Aonium veniet mihi fama sub antrum.

Ad M. D. G.







